GENIVS SECVLI

Quid Romae faciam? mentiri neſcio: librum,
Si malus eſt, nequeo laudare et poſcere: motus
Aſtrorum ignoro: funus promittere patris
Nec volo, nec poſſum: ranarum viſcera nunquam
Inſpexi - -

Iuuenal. Sat. III.

ALTENBVRGI

EX OFFICINA RICHTERIA.

AD LECTOREM.

Quemadmodum non ſine voluptatis ſuauitatisque aliquo ſenſu e terra aliorum in fluctibus labores ſpectare ſolemus; ſic iucundum mihi ſemper fuit, hominum inepta ſtudia, et ridiculum, eorum praeſertim, qui docti vocantur, haberique cupiunt, vitae genus, ſine omnium partium ſtudio, attentius conſiderare: ſi qua minus mihi probarentur, ea libere notare; vt vero eo facilius ſe ad meliorem frugem reciperent, qui ineptiis ſuis et prauis moribus, tanquam ſordibus, pulchritudinem et decus litterarum commaculare

viderentur, leni riſu omnia perſtringere, atque publicis malis, ſic vt bonum ciuem decet, medicinam facere. Iam nuper, editis MORIBVS ERVDITORVM, *teſtimonium exſtare volui animi mei, cum ſemidoctis et ineptis homunculis infenſi, eorumque vitiis emendandis intenti, tum viros bonos, probos, et doctos omni cultu et obſeruantia proſequentis. Verum prope nollem illum libellum vnquam euulgaſſem. Quantas enim, bone Deus! turbas excitauit! quam inhumane, quam parum modeſte, a multis exceptus eſt! Primum, ego multas ob cauſas, quas hic commemorare non opus, nomen meum in fronte libelli non poſueram. ignotus eſſe cupio, mihique et Muſis viuere, quis mihi*

hi hoc non concedat? Quid igitur cauſae fuit, cur tantopere in nomen auctoris inquireretis? Si bonus fuit liber, debuiſtis auctori hanc gratiam referre, neque illum, qui innoteſcere nollet, inuitum atque reluctantem in oculos et conſpectum hominum protrahere: ſi malus, non dignus fuit, cuius in auctore indagando tantum ſtudii poneretis. Alii Mores illos PLATTNERO, alii OTHONI tribuerunt, quidam a KLOTZIO ſcriptos eſſe ſuſpicati ſunt, vt quisque vel infenſus hiſce fuit, vel beneuolus. Omnes rem acu ſe tetigiſſe crediderunt, et omnes vehementer errauerunt. Nam a nullo horum vel vna linea ducta, vnaque ſyllaba ſcripta fuit. Deinde nollem, tam acuti fuiſ-

 ſent

ſent quidam in interpretandis illis Moribus, atque tantam hoc modo illis inuidiam conflaſſent. Quoties ego non adfui hominibus, ſibi egregie, in quem quidque dictum ſit, intellexiſſe exiſtimantibus! Heus! noſtine quem hic tangat? nullum alium - ohe! hic inueniſſe mihi videor - an erro? o turpem hominem! quam miſere magnum - dilacerauit. - Quid tibi videtur? ego per omnes deos deasque iuro, doctiſſimum - irrideri? ſcin' cur hunc perſtringat? dicam tibi. Ecce naſutulum - paullo tamen acerbius hunc tractauit. At iſte vellem maiores poenas dediſſet. Semper illi iratus fui. - Hoſce igitur, et ſimiles ingenioſorum, ſi DIS placet, hominum, ſemper aliquem, quem irri-

ſum

ſum et laeſum cuperent, fingentium, ſuoque politulo et limatulo ingenio mirifice plaudentium, ſermones ſaepe audiui et riſi. Sancte tamen profiteor, me in illo libello omnibus omnis generis perſonis peperciſſe; ſola vitia perſecutum eſſe; neque viros bonos, neque alium quemquam ſcientem volentemque laeſiſſe; de his omnia magna ſenſiſſe; me denique toto in negotio ita verſatum eſſe, vt quemuis, cui non, vel amor ſui, vel partium ſtudium, vel imperitia et inſcitia, caliginem offuderit, mecum in gratiam eſſe rediturum, ſperem. Friuolam immeritos laedendi libidinem non animo ſolum meo, ſed et hiſce, quas tibi trado, chartis, procul abſore, vt ſi quid aliud te me

 poſſum

poſſum promittere, vere promitto. Si tamen liberius quid, ſi forte iocoſius dixerim, veniam poſtulo, quam ſi aequus es, dabis. Haec tibi, mi lector, ignotà eſſe nolui. Nunc, licet me Choerilus male moratum, licet meos ſales pudidos appellet, quid mihi diſpliceat, quid ſtultum et ridiculum putem,

properabo fateri,
nec pudor obſtabit.

PERE-

PEREGRINATIO.

Iam annos XIV. natus erat Natta, iam generoſos maiores, quos fortuna, cui tum iocari viſum eſt, ex humili ad magna rerum faſtigia ſuſtulerat, tanquam vngues digitosque ſuos nouerat, iam illuſtre ſtemma et fumoſas imagines mira facundia recenſere, iam alios generoſo riſu contemnere et alta fronte deſpicere didicerat. Obſtupeſcunt felices parentes diuinum filioli ingenium, illumque magno illuſtriſſimo generi ornamento fore, ingentemque ſua virtute ad veterem ſuorum gloriam cumulum eſſe additurum augurantur. Accedit aliquo die mater, gaudio et voluptate plena, patrem, et, quid tibi, ait, de filio

noſtro videtur? Elucet in eo ſingularis quaedam et eximia vis ingenii; animus vero illius generoſus et nobilis ſummam me ſaepius in admirationem abripuit. Quam eleganter Acheronta mouet, omnesque inde daemones excitat! quanta arte manum et veſtem oſculandas porrigit! quibus greſſibus incedit! nunquam illum vidi ſalutantem reſalutare. Quid dicam, quam apte palleat rubeatue, quam eleganter, quam apto loco et tempore, aegrotet? Adiit me heri, ira et errore prope exanimatus, atque alta voce, quis malus error, exclamabat, illum vicinum noſtrum praecipitem egit? Hunccine, mater, tam claro ſtemmate ornatum virginem alius ordinis in matrimonium duxiſſe? O! me prius ad vmbras

fulmine pater omnipotens adigat, quam eiusmodi aliquid, auis atauisque meis indignum, perpetrem, tantamque ignominiam venerando eorum cineri inuram! Quam iucunda mihi haec oratio fuerit, verbis exprimi nequit. Atque tales, ſummo lepore et inuſitata vrbanitate conditos, ſermones e diuino ore quotidie fluere memini. Quid igitur impedit, quo minus hinc in Academiam abeat? Age, oſtendat in ampliori theatro animi ingeniique virtutes! Dignus fuit ſapientiſſimus ſermo generoſae matronae, cui maritus morem gereret. Quidni igitur lubenter illi obtemperaret? Coemuntur veſtes inauratae, pileus albis criſtis exornatus, et e ſinu mulierculae Gallicae, quam magiſtram adhuc

habuit,

habuit, Natta noſter, ſpes parentum et generoſae ſtirpis, dimittitur. Quot noctes inſomnes egit dulciſſima mater! Quantam vim lacrumarum profudit! Quam aurea praecepta tenerae filii menti inſtillauit! Primum velim, o fili, nunquam obliuiſcaris, te nobili genere ortum, multisque opibus inſtructum eſſe. Quare fugies ſodalitates omnium, non eadem nobilitate conſpicuorum. Fungos eſſe puta, foenum, et ſentinam generis humani. Nihil altum hi ſapiunt, quales enim, quales atauos oſtendunt? aut ſacerdotes, aut cauſidicos, aut puluerulentos doctores. Deinde etiam atque etiam tuae valetudinis rationem habebis. Nihil magis corporis vires attenuat, quam aſſidua librorum lectio. huic

igitur

igitur paucas horas dabis. Neque omnis generis libros in manus ſumes. Multos eorum obſcuritate vires animi frangere et exſtinguere audiui. Tu vero verſiculos Theotiſcos, Stoppii, Picandri, Guntheri, et fabulas Romanenſes, armatum, puta, Siegefriedum, Herculem et Herculiſcum, Robinſonios, et horum ſimiles, leges, illarumque te ſuauitate recreabis. Denique a caloribus aeſtiuis, ab aſperitate tempeſtatis et frigoris, a noxiis ventis tibi ſedulo cauebis. neque frigidiorem, neque calidiorem potum ſumes. Parum in aëre ambulabis. Citius opinione aliquid vitii cutis contrahit. manus diligenter manicis inuolues, earumque mollitudinem, quanta potes maxima cura conſeruare ſtudebis.

His et ſexcentis aliis praeceptis optime inſtructum e lacrumantis matris complexibus Nattam diſcedentem Academia accipit. Quid hic egerit, non opus eſt commemorare. Aiunt, Noſtrum bene comediſſe, bibiſſe, luſiſſe, et otioſum in vtramque aurem dormiuiſſe. Neque tamen ſilentio praetereundum eſt, Nattam a poëtis venalibus viginti carmina accepiſſe, ſuoque nomini ſex libros inſcriptos vidiſſe. Admirantur acutiſſimi viri virtutem, offerentem ſe et foras emicantem, Nattam noſtrum ad illuſtrandum ſeculum natum eſſe iurant, multiſque verborum ambagibus, quantus amor virtutis litterarumque in viſceribus et medullis Mecaenatis infixus haereat, quantis tenerum pectus fodiat ſtimulis, quot

ſenes conſilii maturitate ſuperet, quantum olim ornamentum et decus litterarum futurum ſit, commemorant. Quid Natta tuus? quaeritis. Ille vero frontem ſapientibus rugis implicare, illam bis terue manu eleganter terere, tum nomen titulumque ſuum benigno vultu perlegere, venuſtam libri ligaturam admirari, vt pueri Iunonis auem, et ampliſſimis praemiis clientes ſuos ornare. Atque hi, hercle! digni erant praemio. Quanti enim, quaeſo, laboris erat, Nattam, iuuenem nobilem, laudare, nihil qui, praeter diuitias et formam, laudabile oſtendit? Veriſſimum enim eſt, multorumque ſeculorum experientia confirmatum, rarum fere in hac fortuna ſenſum communem eſſe, iuuenem,

non ſolum nobilitate generis, ſed modeſtia, humanitate, doctrina, ſapientia, ornatum, nigro cygno ſimillimum eſſe, atque, vt aliis animum, ſic multis ex hoc hominum genere animam tantum omnipotentem naturam indulſiſſe. Sed redeamus ad Nattam, qui, duo annos in Academia commoratus, in exteras regiones excurrere parat. Nam quam plurimos pictarum et inauratarum veſtium ſpectatores eſſe cupit. Iam vero quaerendus fuit, qui Nattam comitaretur, illius mores regeret, ſuaque doctrina et ingenio efficeret, vt vberrimi in illum ex itinere hoc fructus redundarent. Aptiſſimus huic negotio obeundo videtur filius praefecti familiae in villa Nattae. Quidni etiam videatur? prope tres annos

in

in Academia conſumſit, bonam Homiliam totam deuorauit, centies ad populum pro ſuggeſtu dixit, canora voce et maxima manuum iactatione; Theotiſcos verſiculos ſcribit, quos Venus multa parte nectaris ſui imbuit, et quibus recitatis Nattae mater riſu fere diſrumpitur, et; quod caput eſt, linguam Gallicam bene callet. Huius igitur fidei Natta noſter committitur; huic etiam atque etiam inculcatur, ne longius anno domo abeſſet. Fuit vero iter per Galliam et Italiam faciendum. Tandem noſter cum Stentore ſuo, multis pro incolumitate peregrinantium votis in templis factis, bonis auibus patriam relinquit.

Pandite nunc Helicona Deae, cantusque mouete,

Maius opus moueo, maior mihi naſcitur ordo
Rerum.

Commemorare enim iuuat, quid generoſiſſimus Natta in Italia et Gallia egerit. Omnia paucis complectar. Quoties vrbem intrant, primum ſartorem aduocant, illumque ſibi veſtes, quales mos ſit ibi geſtare, conficere iubent: tum altitudines turrium, aedificiorum, et portarum, amplitudines viarum, et amoenitates hortorum adſpiciunt et mirantur: poſt, quid quaeque vrbs ſingulare et praecipuum habeat, explorant et coëmunt: ſic Norimbergae paſtillos, Auguſtae Vindelicorum argentea vaſa, Boloniae canes, Venetiis gladium, Pariſiis calceos, pileum, veſtes, ſudariolum,

riolum, chartulas luſorias, et ſexcenta alia emunt: denique, vt docti videantur, publicas bibliothecas adeunt. Hic ſaepius exclamare, o bone Deus! quantus numerus librorum, quam eleganter omnes ligati! ſi forte codicem aliquem vetuſtum aut alium librum rariorem offerat bibliothecarius, ſi magni artificis picturas oſtendat, negligere, pallere et aeſtuare, ſi vitulum tripodem, ſi bouem, tribus cornibus inſtructum, aut alium naturae luſum videant, obſtupeſcere, atque videndo expleri non poſſe. Diligenter etiam tabernas vinarias adeunt, comoedias ſpectant, omniaque ſumma cum fide in commentarios referunt: qua ſorbitiuncula ſtomachum recreauerint, qua hora ex vrbe exierint, quam

ad cauponam diuerterint, quod fuerit aurigae nomen, quo curru vecti ſint. Tali igitur modo vno anno peracto, Natta in patriam redit. Sapientior? quaeris, quaſi hoc dubium ſit. Incipe, quaeſo, aliquid de Italia et Gallia ex eo quaerere,

Tunc immenſa caui ſpirant mendacia folles.

Velis, nolis, hunc peregrinatum eſſe audies. Equi aliquis mentionem iniicit? ſtatim Noſter: hem! Romae Pontificem magnifico equo vehi vidi. Ad coenam aliquis Nattam vocat? o ſtultos Germanos! Quanto delicatiores Pariſienſium epulae fuerunt! De nuptiis aliquis loquitur? at purpuratos aulae Romanae coelibes eſſe noui. Coeli ſerenitatem aliquis laudat?

eadem

eadem fuit tempeſtatis tranquillitas, quo die Venetiis exceſſi. Deinde eleganter balbutire, felem appellare muſcam, canem bouem, currum feneſtram, mira omnia confundere, verbis Theotiſcis Gallica miſcere et ſermonem, lingua vtraque concinnum, ſuauiorem putare. Denique mores patrios prae exterorum elegantia contemnere, veſtem Gallicam, potum, cibum, et, ſi fieri poſſit, ſomnum quoque Gallicum capere. Quis igitur non Nattae tot exhauſtos labores, tot viae incommoda feliciter ſuperata? quis non patriae ſapientiſſimum ciuem gratuletur? Sed, heus, quid Natta tuus reliquo vitae tempore egit? Nimium, hercle! curioſi eſtis. Arrigite igitur aures! Meus generis ſplen-

dore, diuitiarum affluentia, ingenii ac ſapientiae praeſtantia, ornatiſſimus; meus illuſtriſſimus et indulgentiſſimus Natta

vxorem duxit, liberos procreauit,

et placide in villa ſua

exſpirauit.

DIALOGVS PATRIS ET FILII, ICTORVM.

Fil. Video te, pater, honoribus, opibus, et diuitiis maximopere florere, atque haec omnia ſcio te ſola Iuris ſcientia conſecutum eſſe. Velim igitur, mihi viam oſtendas, qua tu ad tantae felicitatis faſtigium perueniſti. Nam, ſi ea, quam meo *Sammetio* duce inii, via pergam, ne fortiter eſuriam algeamque, vereor.

Pater. Vehementer gaudeo, fili, te ineptiarum iſtarum, quibus addiſcendis tot bonas horas perdidiſti, tandem aliquando taedere. Equidem tibi non deero, et quaecunque tibi vtiliſſima cenſeam, bona fide exponam. Noſti, amorem meum, noſti animum.

Fil.

Fil. De me vero certiſſime tibi velim perſuadeas, me, quanta poteſt, maxima, cura et religione praecepta tua eſſe obſeruaturum.

Pater. Arrige igitur aures, Pamphile. Primum velim verbis conceptis pulcherrimum iusiurandum iures.

Fil. Praei verbis.

Pater. Audite manes venerandi Bartoli et Baldi; audite ſanctiſſimae vmbrae omnium, qui diuina eorum preſſiſtis veſtigia, Notariorum, Doctorum, Aduocatorum, Caſuiſtarumque: Si ego vnquam poſthac aliquem librum, elegantioris ICti, quiſque ille cuiasque fuerit, legam, euoluam, adſpiciam, aut aliis legendum tradam, vos mihi iratos inuoco, vos vltores et vindi-

ces

ces periurii ita volo, vt me taedis ardentibus dies noctesque exagitetis, neque totam per vitam quietem capere ſinatis.

Fil. Iuro.

Pater. O mi fili, propius accede, vt te complectar. Quantum nunc Te amo! Antea dilexiſſe tantummodo video. Eris olim magnum patriae praeſidium, noſtrique ordinis ornamentum. Hic igitur dies aliam vitam, alios mores poſtulat. Abiice, quos te habere video, ocyus Batauorum, Italorum et Hiſpanorum libros, quibus febriculoſi homines ius commaculauerunt. Vende hos aut flammis potius dele. Commendo potius tibi Nehringium, Knorrium, Ludouicum, Carpzouium et Volckmannum. Ex his fontibus omnem ſapientiam

hau-

haurias; hos, quoties tibi aqua haereat, conſulas: hos ſi fieri poſſit, ediſcas.

Fil. At, pater, inuiſa mihi ſemper fuerunt illa Gloſſatorum nomina, atque valde mediocriter me de iis adhuc ſentire fateor.

Pater. Vehementer erras, fili. Praeclariſſimis olim laudibus celebrata ſunt haec lumina Iurisprudentiae. Andreas de Iſernia *Euangeliſta Iureconſultorum;* Bartolus, *numen legum*, *Seraphicus*, *Omniſcius et omnipraeſens:* Io. Semeca, *lux decretorum*, *via morum*, *dux doctorum;* Baldus *diuinus iuris vtriusque monarcha:* Nic. Panormitanus *lucerna iuris:* Azo *vas electionis*, *fons legum*, *tuba veritatis*, *numen ICtorum:* Angelus de Vbaldis, *doctor iudicum et pater*

practi-

practicae appellati. Quid hiſce praeſtantius dici cogitarique poteſt?

Fil. Eſtne aliquis Corporis Iuris vſus? Vereor, vt diligenti illius lectione poſſim ſuperſedere.

Pater. Poteris fili. Nam multae legentibus hunc librum difficultates naſcuntur, quoniam non pauca in eo eſſe audio ex antiquitatibus Romanis repetenda, quarum omni ſcientia te carere cupio. Quid enim illa ad panem? Quid ad opes confert? Omnes Conſules, Praetores et Tribunos, omnes Senatus conſulta et leges perſpectas habeas, obmuteſces tamen in foro. Quot ego, qui cane peius et angue a tenera aetate has ineptias odi, cauſas egi! Quoties ſuperior diſceſſi! Deinde, quae in

Corpore Iuris occurrunt, ſumma arte illi, quos modo laudaui, in libros ſuos transtulerunt. Hinc igitur, quae tibi neceſſaria videantur, repetes.

Fil. Lubet vero ex te audire, pergamne in addiſcenda Latina linguà, an illam negligam?

Pater. Non nego profecto, neceſſariam eſſe Latinae linguae cognitionem. Sed hanc ſi tibi ex veterum auctorum lectione comparare cogitas, oleum et operam perdes. Ego, qui et mihi et aliis omnibus non mediocri latini ſermonis ſcientia inſtructus eſſe videor, ſi quando in eorum libros incidi, nullum verbum intelligo. Nam animaduertiſſe mihi videor, alia illos, alia nos lingua loqui. Nos quidem

ſapienti conſilio multis verbis vtimur, nouis, canoris, et grauitate ICti dignis, quibus Theotiſcam orationem diſtinguimus, noſtrisque libellis elegantiae et eruditionis ſpeciem afferimus. Crede mihi, deridebunt te iudices, niſi vtramque linguam commiſceas, at quo plura Latina verba proferas, eo magis te admirabuntur. Sic caue Theotiſce dicas: *probatio directo contraria, et probatio exceptionum peremtoriarum, intereſſe morae, exceptio irreleuantis probationis, et tu non probaſti quod probare debebas, Acta prout iacent, in termino inrotulationis* - Quid contremiſcis? - *ſalua in totum et Illuſtr. Iudicii et Domini concipientis authoritate remedium ſuſpenſiuum, caſus ſuccumbentiae, apoſtoli teſtimoniales, exceptio*

 com-

compenſationis et non competentis actionis, contumaciam pro editis et recognitis, terminus ad videndum produci et curare teſtes, deſuper implorando et vlteriora reſeruando - Quid expalleſcis? - *reliqua ſuppleat legalitas domini examinantis.*

Fil. Parce precor, precor. Nam Stomachum excitas. Ah! pereo pater! Inteſtina ne euomam, vereor. O mi pater! Morior. . . . .

Pat. Nimium delicatulus es.

Nectar et ambroſiam latices epulasque deorum.
Det tibi formoſa grata Iuuenta manu.

Sed

Sed ignoſco aetati tuae. Equidem robuſtiorem ſtomachum habeo. Neque tamen video, quid tibi illa verba diſpliceant. Sunt in foro recepta, ſunt Latinis litteris ſcripta, Latino ſono pronuntiantur. Quis Criticorum, et Grammaticorum nugas curet? Memento, nos ICtos eſſe. Audi vero reliqua. Vtiliſſimam operam ſuſcipies, ſi praeiudicia celebrium ICtorum colligas, ea diurna nocturnaque manu verſes, vt, ſi quando ſimile quid tibi vel agendum vel ſcribendum ſit, ſtatim, vnde ſapias, ſcias. His itaque opibus ſi te bene inſtructum videas, tum te ad omnes cauſſas agendas confer.

Fil. Ad omnes? pater, quaſi omnes iuſtae ſint, et a bono viro agi poſſint.

Pater. Nimia te religione teneri ſentio. Nihil tu iniuſtum eſſe credas, quod tibi opes et honores pariat. Aurea eſt ſententia, quae tibi nunquam mente excidat:

Stude aliquid breuibus Gyaris et carcere dignum,
Si vis eſſe aliquis.

Hanc niſi tu ridiculam animo ſuperſtitionem eiicias, actum eſt. Nonne plerumque maximis honoribus, muneribus, et diuitiis inſignes talia patrant, quae, ſi quis de plebe patraret, vel patibulo affigeretur, vel capite plecteretur? Plebeius ſi plebeium occidit, vita homicidae, vita eripitur. At ſi vir, genere aut muneribus conſpicuus,

alte-

alterum propter verbum, quod ſuae dignitati detrahere putauit, gladio perfodit, an punitur? Immo vero laudatur, et ornatur. Si homo ſumma paupertate et deſperatione appulſus, et quaſi coactus, furto XIII. thaleros abſtulit, laqueo ſuffocatur. An vero etiam ii, qui reges, principes, et patriam immenſa auri argentique copia, vrbibus et villis defraudant? Legibus nullum niſi plebem teneri ſcito. Qui paullulum ſuper hanc eminent, illis exemti ſunt. Nullam ſcito eſſe meliorem viam ad dignitates et diuitias obtinendas, illa, quam iniuſtitia et audacia oſtendit et munit. Atque in aliis quidem terris et prouinciis nimium ſeuere legum vinculis licentia aduocatorum conſtricta eſt. Puniuntur, ſi mala

fraude egerunt, neque vltra conſtitutum tempus lites extendere conceditur. Sed in hac, quae, DIS ſit gratia, nos aluit genuitue, terra, impune prope nobis peccare licet. Multas noui cauſſas, iam ſuperiori ſeculo agitatas, nondum ad finem perductas eſſe, earumque finem in nepotum noſtrorum tempora reſeruatum eſſe credo. Creſcet, ſi lites per triginta et quinquaginta annos proferre poſſis, clientesque nauiter pecunia emungere, tibi res familiaris, creſcet fama.

Fil. Quomodo vero, ſi iniuſtam cauſam ſuſcepi, illam obtinebo?

Pater. Variae ſunt artes, fili, quas omnes calleo. Primum tentabis iudicem

mu-

muneribus. Raro inuenies iudicem, qui non vel ipſe muneribus capiatur, vel non mulierem habeat, paullo cupidiorem. Hanc igitur adibis, huic veſtes, vel vaſa argentea donabis, huic tuam cauſam optime commendabis. Illa vel blanditiis, vel vi et imperio maritum facile in tuam ſententiam perducet. Caue vero hic dormias, vel aduerſarium negligas, qui, ne te vincat muneribus ſuis, prouidebis. Equidem alia via ſemper aduerſarios meos vici. Duxi, vt noſti, ſummi in hac vrbe iudicis filiam in matrimonium. Quid igitur mihi facilius erat, quam iuſtitiam cauſae cuiuis probare? Inuitabis etiam iudicem ad coenam, illique, quando vino incaluit, totam rem enarrabis. Peream, ni-

ſi illi omnia perſuadebis, quae deinde ſobrium pudebit reiicere.

Fil. Quid ſi iudicem non vincam? Tum vero cauſa cadam neceſſe eſt.

Pater. Nondum eſt deſperandum, fili. Sunt aliae adhuc viae, quas inire poteris. Multum praeſertim operae ſtudiique, in eo pones, vt eruditas manus habeas. Tum vel aliorum ſcripturam callide imitaberis, vel, quae ob futura tibi credes, ſurripies, exſcindesque libello actionum. Hoc modo ſi nihil proficias, clienti, vt periurio cauſae ſubueniat, perſuadebis. Tum vero caue dicas, iura, periura: multis verborum ambagibus illuc, quo vis, peruenies.

Pri-

Primum enarrabis, quot iureiurando cauſae optatum ad finem perducti ſint; nugari, qui periurium commodi gratia committendum eſſe negent, etiam hunc et illum nobilem virum periuraſſe, deinde, vt horum exemplum imitetur, adhortaberis.

Fil. At timeo; pater, quam Theologi minantur, coeli vindictam.

Pater. Ridiculus vero iſte timor. Equidem compertum habeo, poſt obitum nos a diis in coruos mutari. Inde accidit, vt quoniam viui nihil lubentius fecimus,

quam vt fures, latrones, et his ſimiles defenderemus, neque mortui dilectos et charos nobis homines relinquere poſſimus.

EPI-

EPISTOLA

DE CAVSIS ALIQVOT IMMINENTIS BARBARIEI.

Etſi neque te amabilius quidquam; neque tuis litteris, quae te mei abſentis memoriam ſumma cum fide et beneuolentia retinere teſtantur, dulcius, magnam tamen attulerunt illae mihi dolorem et moleſtiam. Scripſeras enim grauiſſime de barbariei ſordibus, quibus ne omnis litterarum pulchritudo maculetur et obruatur, iure videris vereri. Nam quod primum optaſti, vt quam plurimi Hoſpitalii eſſent noſtra aetate, (o felicem noſtram aetatem quae *te* alterum Hoſpitalium, magne *Globigi*, tulerit!) qui ſplendorem litterarum ſeruarent, tuerentur, augerent, viris bonis et doctis ingenii et diligentiae praemia darent,

darent, ſemidoctorum vero ſciolorum et ineptorum adulatorum pertaeſi vera et recta de ingeniis iudicia ferrent, intellexi quidem, quam vera omnia eſſent, ſed haec deorum ἐν γούνασι κεῖται, quorum eſt, viros, immortalis Hoſpitalii et eruditione et probitate ſimiles, eligere, atque eruditae reipublicae praeficere. De reliquis ſic habeto. Eſt profecto nulla maior peſtis atque calamitas fundi litterarii, quam inepta et ridicula lex, qua omnis doctrina ad capita quaedam et claſſes redigitur. Quid enim cauſae eſt, cur omnes litterarum partes finibus Theologiae, Philoſophiae, Iurisprudentiae, Medicinae, comprehendantur? Ingenium tuum dulciſſimum poetices ſtudium deditum eſt? *Frange miſer calamos,*

vigi-

vigilataque praelia dele. Illis, niſi eſurire mauis, te aggreges oportet. Domicilium aliquis ingenii ſui in veterum auctorum libris emendandis et explicandis ponit? Illorum huic partes ſequendae. Hiſtoriae, antiquitatis, pictoriae et ſtatuariae artis ſcientia praeditus eſt? Nihil aget, niſi nomen ſuum in illis profiteatur. Quam miſerum vero hoc eſt! Nimis multis rebus hac lege ingenia hominum diſtringuntur; inuiti, de quibus nunquam antea cogitauimus, diſcimus, atque igitur parum proficimus, multa attingimus et delibamus; illud fere faſtigium ſcientiae, ad quam complectendam nos benigna natura armauit, et in qua excolenda elaborare debebamus, non conſequimur. Equidem non dubito,

ſore etiam noſtra aetate, qui Horatio, Virgilio, Ouidio, Liuio, palmam dubiam faciant, ſi cuiuis ingenii ſui impetum ſequi, ſtudiique ſui praemia exſpectare liceat. Neque enim hos tot tantiſque ingenii dotibus armatos videremus, ſi vel in Capitolio ſacra procuranda, vel in foro cauſae audiendae et agendae fuiſſent. Ridicula vulgi opinio, (principes enim, vulgi ſimiles, quis hoc ordine eximat?) nullum praemiis dignum eſſe, niſi, qui, munere publico ornatus, iuuenes doceat. Quaſi vel omnes ad docendum apti ſint, vel dubium ſit id, quod tot ſeculorum experientia confirmauit, eos plerumque in illa, ad quam addiſcendam natura inſtructi, ſcientia, omnes alios ſuperaſſe, quibus curis panis et victus

compa-

comparandi liberis et exemptis; tranquillum vitae genus amplecti licuit. Magnum eſt, ne remotiora a noſtra aetate ob vetuſtatem ſectemur, magnum eſt et diuinum ingenium immortalis *Klopſtockii ingenium.* Eundemne vero putas tam praeſtantiſſimum carmen de Meſſia ſcribere, illique tantam venuſtatem, ſublimitatem, et gratiam conciliare potuiſſe, niſi Auguſtiſſimi Danorum Regis munificentia excitatus et ſuſtentatus fuiſſet? Vtinam, omnes principes, loco eorum, quos fame perire praeſtat, ſuis ſumtibus, quos lubentiſſime in ſpurcos et ſtolidos hiſtriones erogant, viros ingenioſos alerent, ornarent, iisdem eas ſcientias prouehendi in altius et perficiendi otium concederent, quibus eos diuina pro-

uidentia dicauit. Verum idem eruditioni et ingenio, quod virtuti accidit: laudatur et alget. Alteram barbariei cauſam ab intolerabili et incredibili multorum Theologorum imperitia et pigritia arceſſendam eſſe exiſtimo. Sunt profecto docti, ſancti et integerrimi Theologi non pauci, eosque, tanquam ornamenta venerandae huius doctrinae, omni cultu, honore et laude dignos cenſeo. Sed obſcurantur prope eorum nomina innumerabili eiusmodi hominum multitudine, quos ſancti huius ordinis vibices atque maculas iure dixeris. Multis, quibus respublica, litteraria inprimis emendetur, legibus aegre caremus, nullis vero aegrius, quam ad quas, tanquam regulam et normam, Theologorum

ſtudia

ſtudia dirigantur. Quid enim quaeris? Plerique, quando paullulum in ſcholis adoleuerunt, ſtudiorumque ſuorum fundamenta, neque firma neque magna, ſub magiſtro, vt ſit, non admodum docto, poſuerunt, in Academiam abeunt. Ite, belli pueri, bonis auibus! Dii fortunent conſilium! Hic ſtatim animum ad concionandum adiiciunt, ſuique magiſtri Homiliam diurna nocturnaque manu verſant, earum vero linguarum cognitionem, quibus deſtituti diuina oracula interpretari, recte nequeunt, contemnunt, negligunt. Tali modo duobus aut ad ſummum tribus annis conſumtis, primum vt ab iis, quibus neque a facie, neque ab ingenio noti, quique de ingenio candidati ex donata pecu-

nia iudicant, Magiſtri creentur, faciunt; deinde vnum annum in educandis erudiendisque infantibus collocant; mox ocius cruda ſtudia in templum propellunt. Quid deinde? Vxorem quaerunt, (quanquam quid quaerant, quam plerique longe antea inuenerunt?) illam in matrimonium ducunt, prius viri, quam pueri, et prius doctores, quam diſcipuli; (ſaepius enim nondum XX. annos nati ſanctiſſimis muneribus praeſunt,) et, ſi vel antea aliquid commercii cum libris habuerunt, tunc omne illud omittunt et totos ſe aliis, oeconomicis puta, ſtudiis tradunt, ita conſeneſcunt, et ita moriuntur. Quid vero inde litterae detrimenti capiunt? multum profecto. Primum enim plerumque iis infeſti ſunt et

inimici, qui ſupra compendiola ſapere et ſtrenue in litteris proficere ſtudeant. Hadrianum VI. Papam Romanum aiunt: nullum hominum genus maiore odio proſecutum eſſe, quam poetas. Quare tandem? corrupte homo ſanctiſſimus doctiſſimusque in diſtinct. XV. Gelaſii Papae legerat: *Venerabilis viri Sedulii Paſchale opus, quod haereticis verſibus deſcripſit* cum legendum eſſet: *heroicis.* An vero multos aliter ſentire putas? Euolue, ſi placet Burmanni Iter Arcadicum, qui copioſius tibi mores Theologorum enarrabit. Vere ait Sleidanuſ: (Lib. V. extr.) *Eſt hoc omnino velut ipſi tum Theologis vt viros doctos exagitent.* Deinde, ſi quis ex hac turba forte aliquid legat, vel audiat, quod neque in *Koenigii*

Theologia Poſitiua, neque in *Neumanni Aphoriſmis* ſe inuenire meminerit, tum demum videas, quanti tumultus exoriantur! Nam quaecunque ſibi inaudita ac noua ſunt, ea a nemine, niſi Atheo, profecta eſſe arbitrantur. Irridemus ſaepe, meritoque vituperamus papali religioni addictos, qui haereticos ſemper in ore habeant, nihilque grauius hac voce ad contumeliam et contemtum dici exiſtiment. Cur vero eos toleramus, qui omnes, in verba compendiolorum iurare recuſantes, ſtatim Atheos, Socinianos, et neſcio, quos Anos appellant? Neque tamen aliud hoc vitio frequentius. Quid denique dicam de ridiculis eiusmodi hominum orationibus, quae ſaepiſſime egregium religionis decus obſcurant, atque

etiam

etiam in contemtum apud complures ad-ducunt. Iuuabit commemorare tibi capitalis eiusmodi oratoris facetias, in concione populi prolatas, ad ῥῆσιν illam de aſino, cui ſeruator generis humani inſidens Hieroſolymam introiit, explicandam. Vtar vero ipſius verbis, quae a certo homine accepi.

„Alio, Auditores, tempore pluribus de „hoc aſino agam: hocce vero die, quo „nouum annum inchoamus, occaſionem „inde ſumere lubet, vota pro vobis facien„di. Pulchrum eſt atque laudabile inſti„tutum, omnium rerum agendarum pri„mordia a votis capere. Summa reli„gione hunc morem olim Romani obſer„uarunt, nihilque eo habuerunt antiquius.

„Habeo in hac re locupletiſſimos teſtes, „Virgilium, Horatium, atque Acerrae „Philologicae ſcriptorem, quibus quis non „fidem habeat? Age igitur, imitemur illos, „et paullo accuratius aſinum noſtrum con- „ſideremus. Video primum in aſino au- „res, quas quid prohibet quominus magi- „ſtratibus optemus? Magiſtratui multa ſunt „audienda, audiendae querelae ciuium, „audiendi clamores litigantium partium, „audienda mendacia, veritates, conuicia, „et obiurgationes. Quidni auribus longis „opus habeant? Optamus igitur illis aures „aſini. Venimus ad vocem aſini, iniucun- „dam quidem ſed canoram tamen et bene „ſonantem. Hanc meis collegis omnibus- „que concionatoribus apprecari fas eſt:

„Noſtra

„Noſtra vox veritatis nuncia, ingrata eſt „impiis atque inuiſa omnibus: verum fer„rea eadem; deſcendit in animos homi„num; eos perturbat, commouet et per„cellit. Pedes aſini noſtis non mollia et „amoena premere, ſed ſentes et vepres „ſaepius peruadere. Pari modo pueri et „puellae non ſerena modo tempeſtate coe„li, ſed aſpera quoque et turbida per im„brem et procellas bonae mentis officinas, „ſcholas dico, petant, neque ſe vllis im„pedimentis retineri ſinant. Quemadmo„dum aſinus recta via a molitore ad piſto„rem, atque a piſtore ad molitorem redit, „neque ab itinere deflectit, ſic hi recta via „a parentibus ad praeceptores proficiſcan„tur, neque in villis aut tabernis deliteſ-

„cant. Dorſum aſini, cui innumera quo-
„tidie verbera infliguntur, quae ille pa-
„tienti animo tolerat, apprecor illis, quos
„calamitatibus variisque caſibus fortuna
„exagitat. Aſinus verberibus ad molam
„propellitur; hi ſe calamitate in coelum
„educi ſciant."

Ecquid tibi videtur de hac oratione, chariſſime? Equidem, qui ſaepius allegoricas eiusmodi interpretationes ex eorum ore audiui, qui Graecae et Hebraicae linguae imperiti, tibi certiſſime perſuaſum eſſe volo, minime haec a me efficta eſſe. Atque, ſi inuidiam facere his, aut riſus captare vellem, vel peiora in medium proferre poſſem, quae iis ſolis incredibilia videantur, qui ipſi nunquam interfuerint eiusmodi

concionibus. Videntur mihi profecto, neſcio qua de cauſa, concionatores, qui rure viuunt, interdum ſtupidiores multo caeteris hominibus eſſe, atque ſaepe animaduerti, eos, qui antea politi, humani et paullulum litteris dediti fuerint, ſtatim adeo priſtinos mores exuiſſe, quamprimum concionatorio muneri praeficerentur, vt vix putares eosdem eſſe. Nihil dicam de auaritia plurimorum, nihil de nimia cura rei familiaris augendae, qua ſe vſque eo abripi patiuntur, vt vel ipſi in agris opus faciant, vel in nundinis frumentum et pecora vendant. Adducunt ſane hi mores ſanctiſſimum munus in contemtum, ipſique ſacerdotes illis, qui alia in haereſi ſunt, lynceiſque oculis noſtram vitam attendunt,

occa-

occaſionem conuiciandi praebent. Verum haec quidem licentia, noſtra auctoritate nullo modo tolli poteſt, publica auctoritate opus eſt. Quicunque in emendanda diſciplina eccleſiaſtica operam ſuam collocaret, melius de patria mereretur, quam ſi mille hiſtriones, ſaltatores, cantores, Gallulos, in perniciem certiſſimumque ciuium detrimentum immenſis ſumtibus inuitaret et aleret. Scribit aliquo loco Spanhemius, „ ſeptimo atque octauo Seculo non peritiam Sacrae Scripturae in Epiſcopis et Sacerdotibus requiſitam fuiſſe, multo minus linguarum, diſciplinarum et antiquitatis notitiam, ſed modo vt legere, vt cantare, vt orationem dominicam, Symbolum, Pſalterium, Computum recitare valerent

rent nec eſſent neſcii Canonum." Vtinam noſtra aetas longius abeſſet ab hac barbarie! Vtinam non illae Iuris Canonici e ſeculo ſexto leges renouandae eſſent: nefas eſſe, Epiſcoporum ac presbyterorum barbariſmos et ſoloeciſmos irridere. Sed ſatis de hoc ordine, quorum decora et ornamenta magni ſemper feci, faciamque, dum viuam, dehoneſtamenta vero peſſime odi. Venit mihi in mentem alius morbus aut furor, qui e Gallia, vt plures ineptiae, ad nos peruenit. Inuaſit enim inde ab aliquot annis inſania quaedam hominum animos, et ridicula libido, omnium ſcientiarum ambitum Lexicis includendi. Quamprimum aliquem, non doctum, ſed doctrinae fama inſignem, vel nimiis ſumtibus

exhau-

exhauſtum, vel aere alieno preſſum, vel auaritia denique incenſum, pecuniae corradendae cupiditas inceſſit, aliquot ſuae diſciplinae diſcipulos conuocat, non ingenioſos illos, non doctos, non guſtu verae eruditionis imbutos, ſed audaces, robuſto corpore et carnoſis digitis praeditos, et in ſcribendo bene exercitatos.

Tollite cuncta, inquit, *coeptosque auferte labores,*
Lexica ſunt ſcribenda mihi, nunc viribus vſus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magiſtra,
Praecipitate moras. Nec plura effatus, at illi

Ocius

Ocius incubuere omnes, pariterque laborem

Sortiti.

Singulis capita quaedam, *articulos* vocant, elaboranda mandantur; ſingulis libri, quibus res proponendas excerpant, diſtribuuntur. Iam te ſcire velle video, quales hi libri ſint? Non boni, mehercle! Si cui, vt de rhetorica aliquid ſcribat, mandatur, illi non Ariſtoteles, non Cicero, non Longinus, et alii, commendantur, ſed vernaculi ſemidoctorum hominum libelli. Atque eadem ratione in aliis ſcientiis verſantur. Singulis denique, quod caput, certa pro labore pecunia conſtituitur. Nunc vero velim videas, feruorem, quo capitales homines partes datas agant.

Illi

Illi inter ſeſe multa vi brachia tollunt, Strenuo labore et incredibili animi patientia dies noctesque libros compilant: et citius opinione ſapientiſſimum negotium conficiunt. Nihil ſcribentibus magis curae cordique eſt, quam vt quam plurima quotidie pariant; nihil peius, quam breuitatem, fugiunt. Verane an falſa deſcribant, non curant, deſcripta vtrum intelligant nec ne, non reputant ſecum. Ingenii nullus, calami omnis eſt labor. Mox ſuam quisque ſymbolam adfert, portentoſus titulus praefigitur, liber venditur, et laudatur. Nihil dicam, chariſſime, de erroribus, quibus eiusmodi Lexica ſcatent. Qui quantum ſint verae eruditioni noxii, facile intelligitur. Homines enim, qui ex

hiſce

hiſce fontibus omnem doctrinam hauriri poſſe putant, Graecorum et Latinorum auctorum lectionem negligunt; hiſce ſolis ſcopulis adhaerent, neque ſupra compendiola ſapere, neque latiſſimum ſcientiarum ambitum cognoſcere vnquam incipiunt. Praue de virorum ſummorum meritis iudicant, intolerabili quadam faſtu efferuntur, licet carbones pro theſauro inuenerint, famam et nomen docti ſibi arrogare non dubitant, inepta garrulitate ſapientioribus moleſtiam et ſtomachum mouent. Vnde quanta calamitas enaſcatur, quid attinet pluribus enarrare? Nullus ex his libris aliquam vtilitatem capiet, praeter negotiatores iſtos, qui, quoniam bene nummati ſunt, ſe ingenioſos quoque eſſe, arbitrantur.

tur. Atque tales vt in circulis muliercularum docti videantur, auide iſtas quisquilias et nugas coemere vidi. Per me quidem fruantur iſtis deliciis, atque vtinam ſoli! Quid vero, dices? Nihilne de Anacreontis ſimiis, de vernaculis poetis? Haec quidem turba, crede mihi, ſaepe mihi moleſta fuit; eandem tamen ſemper magis miſerandam, quam irridendam eſſe exiſtimaui. „Delectant quidem et trahunt ſaepe nitore quodam fulgentia vernaculorum ſcripta otioſas mulieres, ſcribit Burmannus, quae a cura rei domeſticae et culinariae ad ſcenica et iocoſa ludibria libenter cogitationes omnes abducunt: comtulos etiam et terſos, inter cathedras muliebres optimam aetatis partem terentes, adliciunt iuuenes;

(at,

(at, mi Burmanne, quam vellem noſtris temporibus non iuuenes comtulos, ſed repueraſcentes viros videres, virginibus ſimiliores, quam Cuiaciis et Alciatis, quorum ſe aemulos iactant, quam vellem videres homines, nihil virili praeter nomen habentes, eoſdemque ſibi maximae eruditionis famam arrogantes!) ſed eadem illa ſcripta paullo poſt, aliis ſubnaſcentibus et ad aeui guſtum et nitorem ab integro emendatis ad tabernas et popinas migrant, et priora illa, quae admirationem ſeculi ſui meruerunt, auctorum ſuorum rogis iniecti abolentur." Laudent Choerilos ſuos, ſuoſque Lucilios exoſculentur, atque in coelum extollant. Poſtera, eademque melior, vt ſpero, aetas iudicabit. Audiebat etiam olim Tho-

mas Aquinas, *melior quam Salomon, lucifer matutinus, luna ſapientiae, ſol oriens mundo:* clamabat Stankarus: *plus valet vnus Petrus Lombardus, quam centum Lutheri, ducenti Melanchthones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, et quingenti Caluini:* vociferabantur Iudaei: *R. Hillel didicit omnia genera linguarum, etiam locutionem montium, collium et vallium, locutiones lignorum et herbarum: loquelam ferarum et iumentorum: locutionem daemonum et omnes parabolas didicit.* Haec illi, quid autem nos? Ne igitur bellis hominibus iſtas laudes inuideamus. Nos vero, viuamus in ſtudiis noſtris et conſeneſcamus, neque ſemidoctorum clamores curemus.

Vale.

ASTRO-

ASTROLOGIA.

Permultum diſtat, auctore grauiſſimo poeta, *quae ſidera te excipiant modo primos incipientem edere vagitus et adhuc a matre rubentem.* Optime hoc calendariorum ſcriptores norunt, miraque ſagacitate, quae quoque menſe ingenia proueniant, docent. Iure hanc doctrinam vetulae amplectuntur, quarum beneuolentiae magnam gratiam habeo, et qua accidit, vt ego omnis huius doctrinae particeps fierem ſanctiſſimiſque myſteriis initiarer. Faciam mearum virium periculum, atque ſuper ſignorum coeleſtium poteſtatibus pauca diſputabo.

In tenui labor, at tenuis non gloria.

Libra et *Aquarius* procreant poetas: hic ſimias Anacreontis atque Idylliorum et Odarum ſcriptores, Gallica niue frigidiores; illa verſificatores foecundiſſimi ingenii. Satis eſſe putant, canoros rythmos verſibus addere, maximaque religione ſcanſionis et pedum leges obſeruare: iidem nuptias et dies natales diuitum canunt, coenas captant, et carmina venalia cuique obtrudunt. *Caper* Criticorum prouentu feliciſſimus habetur: atroces hi, iracundi, irritabiles; grauius, quam putes, ad animum reuocant, quae non credas; vnum verbum, vna ſyllaba quantam tempeſtatem excitabit! diſſentias a tanto Apolline, cauſasque diſſenſus, quanta poteſt, maxima modeſti-

deſtia et humanitate exponas, omnia, quaecunque Latium ſuggerit, conuitia audies: haec repetent nepotes, auunculi, et omni diſcipulorum turba, quae, haereditarium odium ſe exercere, iactabit: audiſne quid familia Clerici tibi inſuſurret? cornu feriunt, caue, caue occurſare; inſtillauit his denique libidinoſus caper aliquid, quod in *Chreſtomathia Petronio-Burmanniana p.* 54. *lin.* 18. *et* 19. pluribus exponitur. *Taurus* Dictatores quosdam litterariae reipublicae donare fertur. Quo minus hi ingenio et eruditione pollent, eo maiori faſtu et audacia turgent: ſuam diſciplinam ſolam elegantem et perfectam, ſuos libros ſolos erroribus immunes: ſuas opiniones certiſſimas ſententias eſſe arbitrantur:

omnia ſe ſuae mentis vi et acie inueſtigaſſe dictitant; nullius doctrinae aliquid debent; at ipſorum omnes alii omnia: nihil minus, quam diſſenſum ferunt: omnia pro imperio dicunt. Viſne cauſam, mi chare, ſcire, cur haec ſententia vera, aliorum falſa ſit. *Noris nos*, dicent, *docti ſumus.* Hi bibliopolis praefationes vendunt: horum epiſtolas auctores ſuis libellis praefigunt: hi diſcipulis ſumma facundia ſuae eruditionis praeſtantiam inculcant; ſimiles cuidam, qui magno labore et eo conſilio auiculas cantare docuit, *magnus vir eſt* - -, vt, ſi euolaſſent, nomen ipſius totum per orbem canerent.

Sin autem ad pugnam exierint, (nam ſaepe duobus
Regibus inceſſit magno diſcordia motu)
Terriſonis magniſque vocant clamoribus hoſtem,
Erumpunt portis, concurritur, aethere in alto
Fit ſubito ſonitus: non denſior aere grando,
Non de concuſſa tantum pluit ilice glandis,

quot tunc conuicia, quot dicteria. *Aries* fauet mercenariis vernaculorum ſcriptorum ingeniis. Sapientiſſimo conſilio hi non tam viros, quam mulierculas mulierculalarumque

rumque ſimiles erudire et delectare: modo iocari, et fabellas ſcribere: modo ſeuera fronte philoſophari: modo in corruptos ſeculi mores inuehi: modo blatterare et nugari, quae non, niſi trimum puerum, deceant: modo de amore et vino, modo de Deo atque religione loqui: hodie Gallicos, cras Anglicanos ſcriptores compilare; aliquot ſonoris verbis e Miltonio mutuatis, in altos nubium tractos citius opinione tendere et ore mortali immortalia ſonare: ſingulis ſeptimanis eiusmodi aliquid parere, et a bibliopola pro tradita charta mercedem ſatis acerbe exigere. His profecto conueniunt illa verba Cardani apud Raphelium: „Illa inutilia vt omittantur, fruſtra ſuades. Soleo talia immiſcere, vel

eo tantum fine, vt plura folia typographis mittam, quibuſcum antea de eorum pretio pepigi, atque hoc modo fami non ſecus ac famae ſcribam: Et multa, imo plurima, admiſi errata, quod quaecunque ſciebam, ſeu parua ſeu magna, ſeu opportune ſeu importune, vbicunque intermiſcere volui. *Leo* certiſſimum magnarum turbarum ſignum. Peſtilenti hoc ſidere afflatus

Acer erit, belloque ferox, ad vimque paratus.

Liuido animo aliorum libros legit, neque, vt inde proficiat, ſed, vt errores indaget: in ſingulis paginis, niſi aliquot inueniat, dentibus frendet et paullo maiori cura er-

rores

rores typographicos adnotabit. Pugnam laeto et alacri animo init, neque vllam induciarum ſpem facit; foedera, preces, omnia reiicit: niſi in ipſius verba iures, gladium nunquam deponet. Multorum hoc eſt vitium: multis non animus, ſed facultas deeſt: inde, ſicut ridiculus, (quanquam quid ille non audeat, qui viros ſummos *Belium* et *Erneſtium*, improbo ore allatrauit?) heroum tela colligunt, et vel ſic bellatorum nomen aucupantur. Nullis magis fauet *Leo* quam Philoſophis et Theologis, atque etiam nunc magno ardore eos concertare videmus, quos placidus animus maxime decet.

Cancer

Cancer mirum quendam morbum pluribus iuuenibus attulit. Audiuerant hi, non exiguae eſſe vtilitatis in interpretandis Latinorum et Graecorum libris laborem, qui in veterum editionum lectionibus conferendis inter ſe et comparandis collocetur, atque hoc a viris doctis et Criticis fieri. Nullus igitur hoc tempore, qui non varias alicuius editionis lectiones excerpat, librique ſui margini adlinat. Complures, qui vix a limine Muſas ſalutauerunt, et Priſciani ferulae adhuc ſubiacent, hanc tamen gloriolam, vix primis elementis linguarum vtcunque perceptis, appetunt. Adeas illos: ſe negotiorum multitudine opprimi prope et exanimari dicent. Quaeras, quae tandem ſint illa negotia? Mar-

tialem

tialem ex editione Stephani cum Aldina confero: tum Iuntinam et Plantinianam excutiam. Exiſtimant vero viri non indocti ex ſciolorum horum inepto gloriolae ſtudio litteras bonas multum detrimenti capere. Nihil intolerabilius et ſtolidius homine, qui, paullulum in litteris progreſſus, praecipiti curſu in Muſarum adyta penetrare audeat.

Piſces fauent doctarum Ephemeridum ſcriptoribus, qui, praefatione libri perlecta, et indice feſtinanti oculo perluſtrata e tripode litterario iudicium ferunt.

Sub *Sagittarii* imperio naſcuntur, qui ſi Euandri aetate vixiſſent, maiori et au-

ctoritate

ctoritate et dignitate florerent. Nihil his probatur, niſi antiquum et Romanum; nullis niſi ſepultis ingeniis fauent et plaudunt: nullo niſi antiquiſſimo ſermone vtuntur. Si quando apud Ennium Pacuuium, Plautum, obſoletum aliquod et obſcurum verbum inueniunt, laeti arripiunt, et hoc Albano Muſas in monte locutas putant: Romanos mores tota in vita referunt: Romana grauitate incedunt: Romanos in cibo et potu capiendo adeo exprimunt, vt, ſi vino incaluerint, Romanum gladiatorem agant.

Virgo veſtra Dea eſt, belli homunciones, qui non melius elegantiores litteras a vobis tractari poſſe putatis, quam ſi omnem

muliebrem elegantiam in veſtitu, inceſſu, voce, odore ſuperetis. Atque, vt praemium aliquot veſtrae elegantiae feratis, decreuit Apollo veſtros pileolos, gladiolos et calceolos in aede ſua ſuſpendere.

AGRI-

AGRICOLAE BONFIDII

COMMENTARII

DE

REBVS AD SE IPSVM PER-TINENTIBVS.

Naſci me voluit fortuna in ignobili pago ab honeſtis parentibus. - Ab honeſtis parentibus? - quaſi vero tu, lector, de eo dubitare debeas, cum ego, Doctoris inſignibus ornandus, iureiurando honeſtatem parentum aſſeruerim. Haeſi quidem tum aliquamdiu, neque legibus, neque voluntati eorum, qui mihi iusiurandum impoſuerunt, obtemperare ſtatim volui. Tum vero omnes ad me: Apage te cum iſta virginali verecundia! nos quidem, quo citius quisque et fortius digitos ad iurandum tollit, eo magis illi fauemus: neque honeſtatem tuorum parentum nobis curae, ſed pecuniam, quae tibi genus et erudi-

tionem donabit, cordi eſſe ſcito: verum non negligendae ſunt conſuetudinis leges: alias tibi et examen et iusiurandum remitteremus. Quo modo igitur eum acciperem, qui me honeſto genere ortum eſſe negaret? Sed redeo ad parentes. Mater quidem, quae prae aliis ſui ſexus excelluit, et, ſcriptorum vernaculorum elegantiis delectata, libros pulchre veſtitos diligenter legit, die nuptiarum Mineruae (nam ex carminibus totam Genealogiam deorum didicerat, ſemperque Cupidinem et Venerem in ore habebat) liberos ex ſe pariendos ita deuouit, vt primus filius Theologiam, alter Medicinam, tertius Iurisſcientiam ingenio ſuo illuſtraret; filiae vero nulli, niſi erudito viro, nuberent. Atque frater quidem

dem natu maximus, pulchram a natura formam et canoram vocem accepit, ſingularique humanitate hominum gratiam captauit. Hic deinde in domum nobilis cuiusdam peruenit, atque virginem, quae domino olim in amoribus fuiſſe dicebatur, in matrimonium duxit, quae, licet iam annis profectior, effecit tamen fauore et gratia, qua apud nobilem floruit, vt frater munus concionatorium capeſſeret. Illius quidem fortunae parum abeſt, quin inuideam. Quotidie apud dominum, ipſe *Collatorem* vocat, coenat: cum illo venatur, retia tendit auibus, piſces fallit hamo, equitat, ludit: illi ſi forte ruſtici litem mouent, hic e ſuggeſtu eorum ferociam coercet: huic ſi decimas iidem non conſtituto tem-

pore afferunt, ille carcere mala nomina punit: ſingulis denique annis maximam vim frumentorum in nundinas vicinae vrbis mittit; multa exit victima ſeptis, pinguis premitur vrbi caſeus, ſemper grauis aere domum illi dextra redit. Quod ad fratrem natu minorem attinet, non tam benignam hic quidem initio fortunam expertus eſt, ſed paullo poſt omnes difficultates ſui ingenii praeſtantia ſuperauit. Nam, cum in ea, vbi ſtudiorum tirocinium poſuerat, Academia, indignus exiſtimaretur, cui Doctoris Medicinae honores haberentur, ſtatim Erfordiam abiit, vbi, ſoluta pecunia, nullo repugnante, ſtatim voti ſui compos factus. Nam etſi ad propoſitas quaeſtiones nihil reſpondit, admirati tamen ſunt homi-

nes

nes illius ſapientiam, eumque, quo pauciora loquatur, eo plura et meliora cogitare, crediderunt. Vxorem deinde duxit nobili familia oriundam, elegantes et ſplendidas ſibi veſtes coemit, atque vetularum ope, quarum magnum numerum alit, tantam conſecutus eſt famam, vt neminem eo peritiorem et doctiorem vulgo exiſtiment. Haec de fratribus, quorum fortunam et nomen, mea gloria longe ſuperauit et obſcurauit. Sapientiſſima enim mater non Iuriſconſultum me ſolum, ſed doctorem quoque litterarum in Academia fieri voluit. Commiſit igitur mei erudiendi curam Theologo cuidam, cui magnam Graeci et Latini ſermonis peritiam omnes vno ore tribuerunt. Hic igitur magiſter per duos

annos Donati et Langii praecepta decantauit. Quoties ego paruulus Agricola iſtos libellos lacrumis irrigaui! Quoties ſub horriſono flagello gemui! quot verberibus quotidie onuſtus domum redii! Vicit tandem improbus labor, vicerunt gemitus, fletus et ſingultus omnem laborem. Seyboldi Adagia et Langii Colloquia magiſter multis minis protulit. His libris per quatuor annos manus inſudauerunt: hos inter mille ſuſpiria edidici, deuoraui, et quotidiana lectione prope contriui. Hiſce adiungitur Cellarii liber memorialis, e quo ſingulis diebus certus verborum numerus baculo memoriae infligitur. Quae tum in fronte magiſtri minae! Quam formidabile lumen! Quoties illi in ſuggeſtu ad popu-

lum

lum dicendum fuit, tum praecipue ſemper magna tempeſta coorta. Deſcribere ille multa ex pluribus libris, quos verbum, *Poſtilla*, in fronte gerere memini: chartam in manus deinde ſumere et multo cum murmure in cubiculo huc et illuc curſitare: ego interea Cellarium ediſcere. Saepe ille aliqua verba pluries repetere, frontem corrugare, chartam deinde multa cum indignatione in menſam abiicere, et ſe ad me conuertere,

Violentus, audax, mutus, iratus, ferox

- - - *et dirum fremens*

Manus in ora torſit.

Hiſce libris lectis, perlectis, relectis, recitatis ad maiora progrediendum eſſe parentibus

tibus meis magiſter nuntiat. Tum Terentius Chriſtianus, et Nouum Teſtamentum, Caſtellione interprete, emitur. Ex his verba ad Langii praecepta examinantur, dicendi formulae excerpuntur, ediſcuntur, et ad imitandum proponuntur. Cum Latinis Graeca coniunguntur. Regulis e Wellero memoriae mandatis, Nouum Teſtamentum in manus ſumitur. Inde verba et phraſes excerptae ediſcuntur: epiſtolae et oratiunculae Graecae ſcribuntur: quibus in componendis Schreuelii et Paſoris Lexica magno mihi adiumento fuerunt. Tali modo quinque annis conſumtis, me non implere modo, ſed ſuperare quoque ſuam de me conceptam ſpem, magiſter profitetur, dignumque cenſet, qui in Academiam

mittar.

mittar. Praeparat igitur, vt dicebat, ſuadente et iubente matre, me ad Academica ſtudia, variaque ſuper Hubneri Geographia, Curaſii hiſtoria, et Groſſeri Pharos Intellectus humani in calamum dictitat. In Geographia illud potiſſimum ſibi propoſitum habuit, vt, quid quaeque vrbs praecipuum haberet, vbi bona cereuiſia coqueretur, quod eſſet inſigne vrbis, qui mores plebeculae, enarraret, variaque de Lapponibus et Indis, mira auditu, adderet: In hiſtoria diutiſſime in illis temporibus haeſit, quae Iſraelitici populi fata complectuntur, recentiora leuiter attigit, et pauca, praeter nomina regum, monuit: quid ſuper Philoſophiam Groſſeri diſputauerit, non memini, me hercule! Illud memini,

illum

illum vehementer exardere ſaepius, declamitare in neſcio quos, diſſentientes fortaſſe, et aliquoties plenum irarum calidaeque rixae me interrogaſſe: Viſne tu etiam eos ſequi? Ceruicem, ſi noſſem, tibi frangerem. Quoties ego, deteſtor, bone vir, tuos aduerſarios, dixi, toties ille me oſculatus eſt. Tandem euolaui ex ergaſtulo, atque in Academiam natus annos XVIII. abii. Quid hic egerim, quibus litteris operam dederim, et quid animo propoſuerim, e ſequentibus facile lectores iudicabunt. Poſt tres annos Artium Magiſter, et paullo poſt Iuris Doctor creatus ſum. In ſpecimine, quod publice proponendum erat, de capillis Romanorum expoſui. Facilior mihi, ſi ex antiquitatibus aliquid delibarem,

libarem, labor omnis viſus. Inſpexi primum indices auctorum, a Batauis editorum, et inde omnia, quae ſub verbo, capillus, inueni, in meum libellum transtuli: deinde patrem omnis ſapientiae, Pitiſcum, euolui, atque ex hoc fonte large meos hortulos irrigaui. In margine libelli tot loca auctorum Latinorum et Graecorum laudaui, vt omnia numeris plena: nomina virorum doctorum maioribus litteris exprimenda curaui, magnamque mihi inde eruditionis famam conciliaui. Hic enim mos inde a Io. Pinedae temporibus, qui in opuſculo *de monarchia eccleſiaſtica* mille et quadraginta auctores laudauit, valde adamatus fuit a compluribus. Non ſine admiratione legerunt homines magna Scaligeri, Cauſaboni,

boni, Gruteri, Graeuii, Gronouii, Maf-
fei, et centum aliorum nomina, quibus
Muſarum chorus aſſurgit. In Pitiſcum,
fateor, ingratus fui: viri enim optime de
me meriti nomen nunquam poſui. Pro-
diit igitur primus ingenii mei foetus, in-
ſignitus hoc titulo: *Capilli Romanorum.*
Libelli Argumentum. Hunc vix a typogra-
pho mihi traditum Hamburgum, Beroli-
num, et quocunque viſum fuit, miſi, il-
liusque laudes non multo poſt in Diariis
et Actis publicis non ſine voluptate legi.
Vnum in ſumma laetitia mihi moleſtum
fuit: nimiis impenſis illae laudes emendae
fuerunt. Effecit tamen hic libellus, vt
ſocietates litterariae me certatim in colle-
gium ſuum cooptarent; quanquam neque
hunc

hunc honorem omnes mihi gratis habuerunt. Multo maiorem calliditatem in altero ſpecimine edendo adhibui. Adii virum maximopere doctum, illiusque filiam, deformem et inopem, me in matrimonium eſſe ducturum promiſi. Quid ille? valde laetari, meisque commodis omnibus modis inſeruire. Tandem res eo peruenit, vt libellum componeret, a cordatis etiam viris laudatum, quem meo nomine euulgaui. Me vero promiſſis ſtetiſſe putatis? Vehementer erratis. Ridet Iupiter periuria amantum: libellus meo nomine ſcriptus erat: cur ego pauperem puellam ducerem? Verum in eo quoque elaborandum fuit, vt allicerem iuuenum animos, illisque eruditionem meam probarem. Coemere igi-

tur maximum librorum numerum; iisque elegantes ligatis parietes veſtire coepi. Multitudinem enim librorum certiſſimum eruditionis ſignum exiſtimari conſtat. Emere nummos antiquos, ſigna, aliasque antiquitatis reliquias; emere multa, quae in ſupellectile virorum doctorum fuerant: emere αὐτόγραφα eorumdem, atque haec omnia omnibus oſtentare. Fingere interdum litteras ex exteris regionibus ad me perlatas, eas recitare, de nouis litterariis exponere, variaque de meis laudibus ſubinde adſpergere. Audiueram quoque multos nimia admiratione doctorum virorum nimiisque laudibus, quibus bonos libros proſecuti, magnum ſibi nomen ſingularis doctrinae comparaſſe. Noueram iactationes

quo-

quorundam virorum: *Andreae Duditbii*, ſe omnes Ciceronis libros ter ſua manu deſcripſiſſe: *Io: Paſſeratii*, ſe Plautum quatuor decies perlegiſſe: *Cornelii Hopffii*, ſe Taciti opera legiſſe quinquagies. Noueram *Belurgerium*, Homerum ſemper in manibus habuiſſe, edidiciſſe in templa ſecum attuliſſe et ibi recitaſſe: *Rudolphum Goclenium* Exercitationes Scaligeri ſua biblia appellaſſe: *Lazarum Bonamicum* maluiſſe loqui ſicut Cicero, quam Pontificum Romanum eſſe: *Scaligerum* Horatii car. IX. lib. III. Tarraconenſi imperio praetuliſſe: *Io. Raeum*, ſe quemlibet errorem, in Carteſii libris demonſtratum, quinque nummis aureis redemturum eſſe, promiſiſſe: *Guil. Franc. Hoſpitalium* tantam Neutonii admi-

rationem iactitaſſe, vt Britannos ſaepe interrogaret, an ille, vt alii homines, ſomnum, cibum et potum caperet? ſibique hunc genium quendam, et ab omni humana labe ſeiunctum angelum videri, adderet: *Vincentium Viuianum* ſuo nomine ſemper adſcripſiſſe: diſcipulus Galilaei. Noueram viros hos effeciſſe his artibus, vt viui per ora hominum volitarent, atque ideo ſaepe, quoties hunc vel illum ſcriptorem legiſſem, quanti aliquem auctorem aeſtimarem, enarraui, aut potius mentitus ſum. Quid multa? Omnia mihi e voto ſucceſſerunt. Admirati ſunt homines meam eruditionem, omnesque ex ingenii mei fonte ſitim ſuam reſtinguere cupiuerunt. Ad praelectiones meas mihi dictata aliquot do-

ctorum coemi: ex his auditoribus omnia, quae in his ſcripta, praelegi; ex ingenio meo nihil addidi. Hac via non ſolum ſummam mihi famam, ſed opes quoque non contemnendas comparaui, nihilque optaui magis, quam vt perpetua eſſet haec felicitas. Verum, o ſpes hominum fragiles! O fallacia conſilia! O lubrica vitae humanae curricula! Quanta ſubito tempeſtas ingruit, meque totum proſtrauit! Me miſerum! Praeter omnem meam ſpem atque opinionem meo domicilio igne, neſcio quo caſu, incenſo et deleto, ego ad incitas redactus ſum. Libri, ſigna, nummi, chartae, omnia iacent flammis et triſti merſa fauilla. Pro Deum atque hominum fidem! Quid nunc agam? aut quam viam vitae ſuſtentandae ineam?

Scholas iterum aperire et iuuenes docere qui potero? Perierunt dictata mea. Famam et nomen qui tueri potero? Perierunt nummi, ſigna et vaſa. Iuuenum ſtudia qui allicere potero? Perierunt αὐτόγραφα et epiſtolae virorum doctorum. Audite igitur omnes, qui vbique eſtis, viri eruditi, vos oro atque obteſtor, vt primum ex exteris regionibus ad me litteras mittatis, quas hominibus oſtendam: deinde antiquitatis quaedam monimenta vel donetis vel mutua detis, atque his dictata praeceptorum veſtrorum adiungatis. Meis ſi precibus annuatis, ſpero fore, vt ego, quem nunc nihil ſapere credunt, quem negligunt, cuius vox ſola auditoria et ſubſellia docet: ſubito magna auditorum corona cinctus, ſapientiſſimus et eruditiſſimus audiam.

EPISTOLA
DE CICERONIANIS.

Audiui, amice, controuerſiam nuper exortam eſſe de vera Ciceronis imitatione, eamque, vt viris bonis et doctis inuidia crearetur, a iuuenibus proteruis, minimeque ad has lites diremendas idoneis, excitatam. Ego quidem, quae mea ſit ſententia Tibi exponere non dubitaui. Quaeris vero, fierine poſſit et debeat, vt Cicero imitatione in patrio ſermone exprimatur. De hoc nemo dubitabit, niſi qui medico egeat, qui mediam illi venam pertundat. Eluxit in hoc ingenii humani ſumma vis et quaſi menſura, neque facile quiſquam dicet, pluſne eloquentia Ciceroni, an Cice-

ro eloquentiae debeat. Iure illius nomen pro oratore, illiuſque dicendi facultas pro eloquentia apud omnes recepta eſt. Sed de his ſatis. Dignus eſt Cicero omnium illorum imitatione, qui ad aliquam eloquentiae et elegantiae laudem adſpirant. Quomodo vero illius imitatio inſtituenda? nempe ita, vt, quomodo in rei deſcriptione, quaſi aedificii, verſetur: Quam artem et elegantiam in proponendis rebus, et in collocandis argumentis adhibeat: quam apte ſententiis poetarum orationem diſtinguat; quibus exemplis vtatur; illisque quomodo illuſtriorem ſermonem reddat; quam callide ſenſim in aures auditorum influat, animumque paullatim occupet; deinde, tanquam torrens rabidiſſimus, irruat

ruat et validiſſima vi omnia proſternat, vt nos prius victos eſſe videamus, quam ſentiamus; quibus iocis ſeueriores diſputationes exhilaret: qua arte aduerſariorum argumenta refutet; quomodo de rebus magnis ſublimi, de mediocribus, mediocri, de tenuibus tenui, et limpido riuo ſimillimo, dicendi genere vtatur; qua calliditate, quae ſua cauſſa obfutura videt, vel ab oculis amoueat, vel eleuet; quae profutura, omnibus modis exornet; quam pulchra omnium partium et quaſi membrorum compoſitio; quam apte alia ex aliis nexa; quae copia et varietas, vt, cum idem dicat, tamen commutatis verbis et ſententiis aliud dicere videatur, quando vehementioribus figuris vtatur, quando lenioribus;

vt

vt igitur haec intueamur, et imitemur. Talem vero imitationem, vt nunc ſunt tempora, in patrio ſermone omnino non fieri poſſe (Philoſophus diceret *hypothetice impoſſibilem* eſſe) mihi certiſſime perſuaſi. Sermo quidem Theotiſcus, ſi quis alius, capax eſt huius imitationis. Neque copia, et varietas, neque grauitas, elegantia et venuſtas illi deeſt. Verum quis illas Romanas virtutes in Germaniam transferet? An enim aſſequetur quaeſo, qui vim verborum neſcit, ſententiam, quae illis verbis expreſſa? An ille pulchritudinem loci perſpiciet, qui, quid quoque verbo indicetur proprie, non ſatis intelligit? Nonne omnis venuſtas locorum in proprietate et ſplendore verborum poſita? Horum vero intel-

intelligentiam in ignauiam et imperitiam noſtrorum hominum cadere putas? Peream, ſi vel iſte, qui de Charactere Ciceronis nuper ſomniauit, vel vnam Ciceronis pagellam legerit, vel ii, qui, quae iſte palam iecit, clam tela ſubminiſtrauerunt. Conſideranti enim mihi attentius hominum ſtudia, animaduertiſſe mihi videor, eos, qui ſibi patrii ſermonis puritatem et elegantiam cordi curaeque eſſe fateantur, valde mediocriter doctos eſſe. Praeter Franco-Gallicam linguam et tralatitiam leuemque aliquam Latinae cognitionem nihil ſciunt, (nolim tamen huc referas Heluetos, quorum libri multo ingenio ſcripti, multaque eruditionis copia referti ſunt) illudunt quoque Criticis et Grammaticis iocis et di-

cteriis, quae, in putido cerebro prognata; mulierculis riſum moueant, atque ſi quando in Latinum auctorem incidunt, in nouo orbe terrarum pedem poſuiſſe videntur. At habemus Aeneida Schwarzii, Theophraſtum Mulleri Luberkuhnii Theocritum. Habemus ſed nollem haberemus. Nihil enim peius his interpretationibus vnquam vidi et legi. At habemus multarum Ciceronis Demoſtheniſque orationum interpretationes. His quid ſtatuendum ſit pretium, et vnde ſint hauſtae intelliges, ſi eos ipſos, qui ſe Graecos et Latinos interpretes nobis venditarunt, tam barbare tam vitioſe loqui audias, vt iidem magni viri, qui ſibi omnes auctores deuoraſſe videantur, neſciant, quid ſit *inſtar montis.* Sed

aliter

aliter omnino fieri non poteſt. Stoppium enim Phaedro, Schoenaichium Virgilio et Homero, et neſcio, quos popas Ciceroni aequiparant. Habeant ſibi delicatas ſuas auriculas, nos eos Genio ſuo irato relinquamus. Nam iam olim *Io. Ciampolus* Horatium et Virgilium homines eſſe nullo ingenio, nulla eruditione, nullis litteris, dixit, ſed puerorum ſimiles, qui primum in ſcholis verſus facere, diſcant. Neque mihi tamen iſti probantur, qui omnia verba ad Lydium illum Nizolii lapidem examinantes, cuiuis, ſi quid forte Ciceroni inauditum excidat, diem violatae Latinitatis dicant, bonoſque ſe Ciceronianos putent, ſi illa, *ſi vales bene eſt*, et *eſſe videantur* ſaepius repetant. Similes hi profecto illi, qui,

cum Eraſmum Roterodamum calamo ſcribere vidiſſet, cui ob breuitatem lignum additum, ſtatim omnibus ſuis calamis lignum alligauit; aut his, qui, quoniam Melanchthon humerum alterum nonnihil detorquere ſolebat, ſimilem inceſſum imitati. Quid eſt seruum imitatorum pecus, ſi hoc non eſt? Vnum addo ex omnibus, qui inde a renatis litteris ad Ciceronis imitationem ſe contulerunt, nemini felicior haec res ceſſit, quam diuino ingenio *Erneſtii*, (cui doctiſſimum *Facciolatum* addas) viri, rumpantur vt ilia Codro, ſummi. Hunc imitemur, hunc intueamur, huius de gloria dies noctesque cogitemus.

Vale.

GENEA-

GENEALOGIA CRITICORVM.

Eridem aiunt, illam Deam, cui *triſtia bella,*

Iraeque inſidiaeque, et crimina noxia cordi;

illam matrem rixae, altercationum, et conuiciorum; quae iam olim Dearum amicitias pomo aureo rupit, Troiamque euertit: quae quotidie dulciſſimae coniugis manus aduerſus ora mariti vnguibus armat; qua ſine nil altum mens Criticorum inchoat; quae, vt neque bibliopolis pecunia, neque mercatoribus charta deſit, ſapientiſſime prouidet; quae, vt Egeria Faunum, Philoſophos omnes ſuas artes docet,

et in eorundem auditoriis domicilium poſuit: hanc igitur Eridem aiunt, grauidam fuiſſe. - E quo fuerit, quaeritis? Quaſi ego ſcirem, quod ipſa Dea ſe neſcire iurauit. Nam in Senatu Deorum, qui nunquam frequentior, rem quidem ipſam non negauit, ſed ſe nulli vnquam viro vel oſculum dediſſe, per Plutonem iurauit. Mirum hoc et incredibile viſum. Neque enim tum tot puellae, ſe grauidas quidem eſſe, ſed virginitatem inuiolatam retinuiſſe, iurauerunt, neque iam *Lucina ſine Concubitu* ſcripta fuit. Grauida igitur fuit Dea, atque paullo poſt vna nocte multos filios peperit.

Non alias coelo ceciderunt plura ſe-
reno
Fulgura, nec diri toties arſere come-
tae;
Tempore quanquam illo tellus quoque et
aequora ponti
Obſcoenique canes, importunaeque vo-
lucres
Signa dabant. -
Heu! quantum inter ſe bellum -
- - quantas acies ſtragemque cie-
bunt!

Filii vero primo partu editi ſunt hi: *Argyropylus*, *Poggius*, *Florentinus*, *Claudius Verdierius*, *Laurentius Valla*, *Scala*, *Marullus*, *Leonardus Aretinus*, *Angelus Po-*

 litianus,

litianus, *Guil. Budaeus*, *Scaligeri*, *Sigonius*, *Olaus Borrichius*, *Caſp. Scioppius*, *Iacob. Gronouius*, *Küſterus*, *Burmannus Primus*. Hi non vitam tantum ab Eride, ſed mores quoque acceperunt: inde his ira modum ſupra eſt: ingentes verſant animos anguſto in pectore: his tubae et belli clamor dulciſſimus. O felicem Eridem tam numeroſa prole! Verum quoniam ſemel leges verecundiae tranſierat Dea, nauiter ſe impudentem eſſe oportere, credidit. Non multo poſt a Mercurio, Deo ſcientiarum, eodemque Deo furum, compreſſa, non pauciores in lucem emiſit. En vobis eorum nomina! *Lambinus*, *Frid. et Ezechiel*, *Spanhemii*, *Morhofius*, *Io. Roſinus*, *Io. Clericus*, *Dau. Chytraeus*, *Gundlingius*, *Hauercam-*

uercampus, *Io. Gottl. Heineccius*, *Maettaerius*, *Pitiſcus*, *Io. Nic. Funccius*, *Freigius*, *Wagenſeilius*, *Ouzelius*, *Verburgius*, *Chevreus*, *Euerard Otto*, et omnes Editores auctorum *in vſum Delphinii*. His Eris animum intrepidum, et Mercurius calliditatem ingenerauit, atque a teneris vnguiculis decantauit.

Auferat hic aurum, peregrinos illos lapillos,
Et quaſcunque poteſt tollere, tollat opes.

Inde his vncae et piceatae manus, oculi lyncei, animus audax, frons ferrea: Maxime Mercurius *Clericum* adamaſſe dicitur, illumque omnes ſuas artes docuiſſe. Verum mox taedium cepit Deam Mercurii,

nam quid inconſtantius amore? etſi ſunt, qui inde Eridis animum ab eo abalienatum eſſe dicant, quod nunquam filios, qui quotidie furti rei agerentur, defendere desiiſſet. Mars igitur, truculentus Deus, ſaeuus,

Armorumque pater, bellis et ſanguine gaudens,

Eridi in deliciis fuit. Prodiere etiam amorum teſtes: *Cuiacius*, *Caſp. Barthius*, *Glareanus*, *Salmaſius*, *Tanaq. Faber*, *Lamb. Bos*, *Muretus*, *Naedhamus*, *Paw*, *Barneſius*, *Acidalius*, *Ludou. Carrio*, *Galeus*, *Iac. Tollius*, *Boeclerus*, *Henricus Stephanus Palmeſius*, *Cruquius*, *Guietus*, *Graeuius*, *Bentleius Itarauinus.* Quis his alius animus eſſe potuit, quam crudelis? Nemo fuit,

cui

cui non vulnera infligerent; nulla regio, quam non deuaſtarent, nullus locus, vbi non vrerent, ſecarent, omniaque caede et ſanguine implerent. *Bentleius* proxime ad Martem acceſſit. Valde hiſce amoribus Eridis pulchritudinem detritam fuiſſe, quis non videt?

Forma bonum fragile eſt, quantumque
accedit ad annos
Fit minor, et ſpatio carpitur ipſa ſuo.

Nullum igitur Deum poſthac ad ſui amorem allicere potuit. Verum amiſit quidem illecebras amoris, minime tamen libidinem. Inde neque ſeruorum infimorumque Deorum amores aſpernata eſt. E qua colluuie plebis procreati ſunt: *Antonius Mancinellus*, *Chriſt. Weiſius*, *Parrhaſius*,

Hederichius, *Iunckerus*, *Stubelius*, *Schreuelius*, *Emanuel. Sincerus*, *Io. Minellius*, *Gumbrechtus*, *Vhſeus*, *Weinrichius*, *Schroederus*, *Gottſchlingius*, aliique Grammaticuli diobolares, quos poſt mortem in muſcas, fucos, et papiliones mutari dicunt.

AD

AD DEFENSORES PVRITATIS GRAECI SERMONIS IN N. T.

Vehementer errauit, Viri acutiſſimi, *Hemſterhuſius*, homo non prorſus quidem graecae linguae imperitus, ſed accurata illius cognitione vobis longe inferior, cui veſtra de pura N. T. oratione ſententia oppido ſemper ridicula viſa eſt. Dii piis meliora, et errorem iſtum hoſtibus! Ipſe, fatebor enim, adhuc in illa haereſi fui. Nondum enim in indaganda vera Graeci ſermonis indole multum ſtudii poſueram: nondum diligenti lectione Graeca monimenta contriueram. Perſpexi nunc demum, dIs gratia! licet ſerius, perſpexi tamen, quam imbecillibus argumentis eorum opinio ſuffulta,

fulta, quam parum veſtri aduerſarii in Graecorum librorum lectione verſati ſint. Vltro meum errorem damno. Intellexi quam intelligens habeatis iudicium, quam acutum ingenium, quam teretes aures. Pedibus manibuſque, ſi fieri poſſit, in veſtram ſententiam eo. Sed, oro vos, Viri doctiſſimi, quid vobis de *epiſtolis obſcurorum virorum* videtur? Audiuiſtis procul dubio, illas, tamquam barbaro et minime latino dicendi genere conſcriptas, ab omnibus negligi ac contemni. Male, me hercule! et inepte. Dii, illorum, non obſcurorum, vt aiunt, ſed elegantiſſimorum, vt docebo, virorum vmbris

tenuem

tenuem et ſine pondere terram
Spiranteſque crocos et in vrna perpetuum ver.

Quid ſi enim infamiam ab imperitis illorum nominibus illatam iis abſtergam? quid ſi doceam, epiſtolas illas puras, elegantes, et latinas eſſe? ſequar eamdem, quam vos in defendenda puritate N. T. rationem: illuſtriſſima veſtra exempla mihi ante oculos proponam, ne latum quidem vnguem a vobis diſcedam. Vos iudices eſtote. Proponere vero iuuat epiſtolam *Io. Arnoldi* ad *M. Ortuinum Gratium.*

Credi-

Crediderim vtique, quod audiueritis, vel fuerit vobis pluſcule dictum, qualiter ex quadam affectione animali bona contulerim me nuper-

Crediderim vtique, Tanta eſt huius epiſtolae elegantia, vt illus auctor Ciceronis aeuo vixiſſe videatur. Hunc certe ſcriptorem prae omnibus aliis in deliciis habuit, et felici imitatione expreſſit. Cic. ad Attic. XIII, 13. illud *vtique* ſcire cupio. Ad eund. V, 9. literis, quae ad me *vtique* perferantur, conſequerer, et ſic ſaepe alias.

Pluſcule, Adhibet frequenter noſter diminutiua, quibus magna orationis elegantia continetur. Sic *beneficiolum*, *artificiolum*, *librulum*, *epoſtolium*, dicit. Verbo *pluſculus* Terent. Lucret. Cic. Gell. vtuntur.

Ex affectione animali, *Affectio* pro *amore* raro quidem occurrit, ſed occurrit tamen. Tacit. Annal. IV, 15. Inter laetas audientium *affectiones*. et vet. inſcript. apud Gruter. ob *affectionem* et pietatem in ſe eximiam. *Affectio animalis* eſt

nuperrime viatica ambulatione ad vrbanam Romae curiam cauſſa lucruli ad conſarcinandum vnum beneficiolum ſeu praebendiolam vel parochiam aliquam miſſam. Vnde poterit

mihi

eſt *amor viuus* et qui quaſi ex anima prouenit. Vox *animalis* eſt apud Cic. Tuſc. I, 17. Auguſtin. Retract. extr. *Ex affectione* eſt *propter*, *per* ſic Liu. II, 52. *Ex* copia deinde otiaque laſciuire rurſus animi. Suet. Calig. LXVI. Modo *ex* aliqua cauſſa agenti gratias. Adde Saluſt. bell. Catilin. 36.

Viatica ambulatiuncula, Nempe quum fecit *viatico inſtructus*. Sic vtitur verbo *viaticus* Plaut. Menaech. II, 1, 29. Forte aliquis mallet de *coena viatica* cogitare; de qua Turnebus Aduerſar. XXX, 26. et Torrent. ad Suet. Vitell. III. ἐπέχω.

Conſarcinare, vid. Gell. XIII, 23. quemadmodum ſartor acu veſtes conſarcinat, ſic ego diligentia mea mihi munus conciliaui.

*mihi ex nunc vſque ad ſinem vitae meae ſuffi-
cere ac ſuppetere victus et amictus, ſi diuina
volu-*

Ex nunc, Diſplicet formula delicatis auribus quorumdam vitio creatorum cenſorum: at ego illam ad imitationem Graeci ἐκ τοῦ νῦν effictam eſſe puto. In nullo latino auctore eam inueniri, lubenter largior: ſed quam exigua pars latinae linguae ad nos peruenit? quanto maiorem tempus et longa annorum ſeries extinxit. Nec video, cur, cum alias latini praepoſitionem aduerbio apponant, *ex nunc* reiiciendum ſit. Sic *inibi* apud Apulei. Multa *inibi* dicta ſunt, quae commemorare non eſt opus. et Plaut. Vos *inibi* eſtote. Sic *exinde* apud Liu. I. *exinde* duabus admotis quadrigis etc. Sic *proinde* apud eumdem I. *proinde* ne grauarentur, et Terent. Phorm. *proinde* expiſcare. Quidni igitur elegantiſſimam formulam retineamus?

Suppetere victus, id eſt, *in promtu ſit*, quaſi *ſub pedibus ſit*. Caeſ. VII, 85. *Suppetunt* vires. Cic. fin, I, 4. ſi vita *ſuppetet*. Salluſt. bell. Cat. XVI. cauſſa

voluerit Dei gratia, quam ob rem me hercle! vel medius fidius! debueritis mihi non rariuſcule vnam litterulam amicioſe conflatam ſeu compi-

cauſſa minus *ſuppetebat*, vbi vide patrem formularum et phraſium Cortium.

Si diuina, Procul dubio Auct. ante oculos habuit Iuuenal. VII, 196. *Si* fortuna *volet*, fies de rhetore conſul, Si volet haec eadem etc. *Gratia* hoc loco ſignificat beneuolentia. Quis hoc vituperet, cum Cic. de clar. orat. 43. *gratiam* alicuius ſibi conciliare et *gratiam* collectam effundere dicat?

Quam ob rem me hercle! debueritis, Elegantiſſima collocatio verbi *me hercle!* Liu. XXVIII, 44. ſi *hercule!* nihilo maturius perficeretur bellum. Plaut. Aulul. I, 2, 17. ſi *hercule!* tu - exceſſeris. Cic. ep. V, 10. ſi *me hercules!* os Appii haberem. Ite igitur, et de latinitate *Arnoldi* dubitate.

Conflatam, Dicitur *conflare* inuidiam Cic. Cat. I, 9. *Conflare* familiaritatem Terent. Eun. V, 2, 35.

compilatam ſcribere, et in ea effectionaliter ſignificare, quomodo ſteteritis in omni qualitate corporali et animali, et quomodo fueritis fortu-

Conflare bellum Cic. ep. V, 2. Cur non etiam *conflare epiſtolam?*

Significare, Certiorem facere. Plenius Cic. ad Att. I, 11. *ſignificare* per literas.

Steteritis, Diuerſimode explicari poteſt et defendi. Primum *quomodo probetur et tibi et aliis animi tui ſtatus.* Sic dicitur fabula *ſtare* Horat. II, ep. 1, 176. et fama *ſtare* Grat. in Cyneg. 100. Deinde *quam fortunatus, integer et inuiolatus ſit ſtatus tuus.* Sic Cic. Offic. II, 1. Vtinam res publica *ſtetiſſet*, eodem, quo coeperat ſtatu. Et Suet. Otto. 5. et Cic. ep. I, 4. Cum in ſenatu pulcerrime *ſtaremus.* adde l. VI. ep. 6.

Qualitate, vid. hoc verbum apud Quinct. V, 9. et Cic. Ac. qu. VI, 7. *Corporalia* bona et externa habet Gellius XVIII, 1. adde voluptates *corporales* apud Senec. ep. 78.

ſortunatus fataliter ex praedeſtinatione diuina, quae fuit ante ſecula, ſicut dixerit Lactantius, quem audiuerim nuperrime ſtudio intentionali, quando lectus fuerit forma-

Fataliter, *Secundum fata*, *ex lege fatorum*. ſic Cic. ep. II, 7. Eutrop. I. 10. *fataliter* mortuus eſt.

Praedeſtinatione, Liu. XLV, 40. ſibi ipſum ſimilem triumphum *praedeſtinare*.

Studio intentionali, Idem eſt ac *ſtudio intento*. Verbum *intendere* frequenter auctores adhibent, ſi labor et cura exprimenda. Cic. Sen. XI. *intentum* animum habebat. Tacit. hiſt. I, 48. Prout animum *intendiſſet*. Adde Liu. XXI, 49. Salluſt. bell. cat. 2. Iug. 20. Per Analogiam igitur licuit noſtro dicere ſtudio *intentionali* pro *intento*.

Quando, i. e. *quoniam*, bonorum auctorum exemplo. Valer. Flacc. I, 241. ſuperum *quando* conſulta videtis o Socii. Salluſt. bell. Iug. 102. Nunc, *quando* per illam licet, feſtina.

Lectus, Subobſcurus locus. Ego quid ſentiam, libere dicam. Credo auctorem hoc velle La-

formaliter hic in ſapientia: praeterea enim

vero

ctantium non illum πολύγραφον, ſed recentiorem aliquem, ſapientiſſimo conſilio ad munus eccleſiaſticum *electum* fuiſſe. *Legi* enim pro *eligi* bonis ſcriptoribus familiare. Valer. Max. II, 3. E peditibus *lectos* expediti corporis. Iuſtin. XIII, 2. Trecenta millia armatorum *lecta* ex omnibus copiis. Sunt, qui aliter interpretentur. Nempe Lactantium in lectione librorum bene verſatum eſſe, ſiue Lactantii libros praelectos fuiſſe. Verum hos lucumones errare turpiter, quis non videt? Nam ſi horum ſententia vera, barbarus eſſet auctor noſter. At illum elegantem eſſe reliqua teſtantur. Sileant igitur ſtulti homunciones et ab interpretatione librorum abſtineant. Furcillis hos e ſacratiſſimis Muſarum templis eiiciendos cenſeo, quibus mancipiis cum nec bonam mentem natura dederit et perpetua mendicitas aliorum ſemper reliquias ſemeſas arrodere et panem atrum ex heſterno locupletiorum iure deuorare cogat. Verum non noſtrum eſſe ſciant, cum eiuſmodi capitalibus ingeniis in campum progredi.

(hanc

vero venerit vnus ſocialis ex colonia et gelidis Alemanniae partibus, apportans epiſtolia miſſiua, hinc inde ſibi adſtipulata, quod quo videlicet intellexerim, qualiter vos feciſtis imprimere arte characterali vnum librulum qui intelligitur eſſe vel fuiſſe intitulatus ſeu praenominatus, Epiſtolae obſcurorum virorum ad

I 4 *M.*

(hanc orationem depromſimus ex eleganti penu *Burmannorum.*)

Formaliter, cur reiiciamus hoc, cum Suetonius in Domit. c. 13. dicat epiſtolam *formalem*?

Feciſtis imprimere, Ex interiori Latinitate repetitum. Cic. Ep. 13, 18. itaque *facio* me alias res agere vbi Corradus, Manutius et Graeuius dormitant: Cortius et Bengelius verum vident. L. IV. ep. 12. viſum eſt *faciendum* - vos certiores facere L. III. ep. 8. *faciendum* mihi putaui, vt - reſponderem de diuinat. I. *faciendum* vt diligenter comparemus. Adde Terent. Eun. IV, 7. 31. Liu. 36. 39.

M. Ortuinum. Gratium, in quo vtique codiculo ſeu libello, ſicut talis dederit, mihi intelligendum, continentur omnes litterulae ad veſtram dignitatem hinc inde deſtinatae charitatiue et fraternaliter a veſtris amicis et notis, etiam poſueritis meum epiſtolium intus, et valde miratorie ſtupefactus fuerim quod dignamini me tantiſper honore ſeſquipedali, et facitis mihi aeternalem famam, qua propter habueri-

Facitis famam, Facere famam latine dicitur ex analogia. Quis dixit *facere* bellum tumultum, timorem, formidinem? Nonne Salluſt. B. C. 33. periculum homini *facere*.

Aeternalis, Inſcript. ap. Reineſ. p. 649. ſomno *aeternali*. Fortunat. 10, 10, ſalus *aeternalis*.

Sicut dederit, Subintellige *ſe*: ſic Terent. quot res *dedere*, vbi poſſem perſentiſcere, Hec. 3. 3. 20. vt res *dant* ſeſe.

habueritis ſcire quatenus voluerim vobis Gratiam referre, in quantum potero, etiam ſcieritis, qualiter ſtuduero hic per totum in poeſeos artificiolo, et ergo fuerim aliter ſtylatus quam prius. Valete.

Quid

Habueritis ſcire, elegantiſſime dictum. Tantum *habeo* tibi polliceri Cic. I. ep. 5. it. ad Attic. 22. *habeo* ſcribere cf. Horat. Epod. 16. 23. Gell. 15. 20. Terent. Andr. 3. 2. Lucret. 6. 711. vid. Cort. ad Cic. ep. 1. 5. Seru. ad Virg. Aen. 5. 248. Voſſ. A. G. 7. 51.

Stylatus, Sunt in hac epiſtola aliquot verba, quae Latium i. e. exigua pars Latinorum, quae ad nos peruenit, ignorat, vt, *fraternaliter*, *epiſtolium*, *intitulatus*, *amicioſe*, *miſſiua*, et pauca alia. Verum cur non liceat ſcriptori analogiae ope eiusmodi verba fabricare et adhibere?

Valete, Eleganter noſter ſecunda perſona, vt loquuntur Grammaticorum filii, pluralis vtitur. Nam cum optimi ſcriptores prima perſona plu-

 ralis

Quid aitis, boni viri? Murmurare vos video et frontem corrugare. - Hoccine erat? - verba quidem dictis ſingula fortaſſe bona eſſe, et aliquo modo defendi poſſe, ſed probabilius videri, ea ex Theotiſco ſermone hauſta, non totum orationis habitum Latium redolere, compoſitionem verborum atque ſtructuram barbaram eſſe. Quid? Num vos aliter in *Vindiciis* veſtris egiſtis?

ralis pro prima ſingularis eleganter vtuntur, quid prohibet quo minus latius hanc elegantiam extendamus?

DIALO-

DIALOGVS

BIBLIOPOLA ET ERVDITVS.

Bibl. Accepi, Vir Clariſſime, a certis hominibus, magna te non in patria ſolum noſtra, ſed apud exteros quoque ingenii et eruditionis laude florere, magnamque ad tuas ſcholas iuuenum multitudinem confluere. Noui quoque te aliquot libros ſcripſiſſe, totum qui terrarum orbem breui tempore peruagati, plurimos emtores allexerunt.

Erud. Non erras fortaſſe. Quae non ſi gloriae cupidus eſſem, eruditionis teſtimonia proferre poſſem! Hunc annulum mihi regina donauit: hoc horologium a principe accepi: hunc nummum aureum mihi rex

tradi-

tradidit. Quid dicam de litteris, plenis laudibus meis? Vin' litteras ducum, principum et nobilium? En tibi illas! Vin' litteras Italorum, Gallorum, Batauorum? Adſpice tantum illarum numerum, vt Troia his incendi potuiſſet! Quid vis amplius? Dicamne, quam honorifice in aulis principum exceptus fuerim? Enarrem, quibus me honoribus omnes cumulauerint? Non faciam. Equidem, ſi quis alius, a iactantia et gloriatione abhorreo.

Bibl. Ne igitur, vir ſapientiſſime audaciam meam iniquius feras. Nundinarum tempus noſti appropinquare; libros ego –

Erud. Eſne bibliopola? Salue bone vir, Tuo ordini ego multum debeo, debeboque, dum viuam. Eſne bene nummatus?

Bibl.

Bibl. Fui, ſed bellicis ſumtibus prope ad incitas ſum redactus.

Erud. Bono ſis animo. Si te gratum eſſe intelligam, faciam, crede mihi, vt oycus opinione opes et diuitias tibi compares immenſas.

Bibl. Magnas tuae beneuolentiae gratias ago. Nulla alia de cauſſa acceſſi, quam vt tuum auxilium implorarem. Nam promiſit mihi quidam, ſe, neſcio de qua re, librum eſſe ſcripturum. Hunc vt praefatione exornes, oro.

Erud. Exornabo. En tibi decem praefationes, per otium a me conſcriptas! Fac, eligas aliquam.

Bibl. Hanc, niſi tibi diſpliceat, cupio. Eſt enim omnium longiſſima. Verum ipſam

prae-

praefationem non curo: librum illum vt laudes et commendes, opus eſt.

Erud. Quaſi faciendum ſit, quod iam factum eſt. Nondum, fateor, vidi librum illum et legi. Nondum, quid in eo ſcriptum, noui. Laudaui tamen eum ampliſſimis verbis: nullum elegantioris doctrinae ſtudioſum illo carere poſſe dixi: auctorem maximum noſtrae aetatis ornamentum eſſe iuraui per omnes Muſas. Nihil ſupereſt, quam vt tu nomen auctoris addas. Verum, ne caput rei negligamus, velim ex te audire, quantum ego ſim pro labore et laudibus iſtis accepturus?

Bibl. Noſti, quam miſera ſit horum temporum facies. Dabo XXX. thaleros.

Erud. Abi cum tuo praemio in malam rem. Conſcripſi praefationes pro XXX. thaleris; verum neque tam longas, neque tam in laudes auctorum effuſas. Elige tibi aliam. Hanc, niſi plura ſoluas, nunquam accipies.

Bibl. Nunquam te tam acerbum fore putaſſem. Niſi deſiderio meo ſatisfiat, non longius te morabor. Vale.

Erud. Neſcis, o miſer, neſcis quantum tua ferocitas et auaritia tibi detrimenti afferat. Omnes, qui vbique ſunt, eruditi, me colunt et venerantur: omnes praeclare de mea eruditione ſentiunt: omnes mea iudicia maximi aeſtimant. Aude illum librum edere, aude: Ne viuam, niſi in omnibus diariis et Ephemeridibus reiiciatur,

niſi a tribunis litterariis ad aeternas tenebras condemnetur, niſi certatim omnes eum quibuſcunque conuiciis proſcindant. Tune vero vnum emtorem fore putas? Ipſe in meis libris, quam inſulſus, ſtultus et ineptus ſit, non ſemel enarrabo. Nonne damnum, quod tibi tua culpa contrahis, vides?

Bibl. Vt lubet. Nihil impedio. Vale.

Erud. Heus, heus, bone vir, quales tibi animus eſt nummos ſoluere? Argenteos an aureos? Veteres an nouos?

Bibl. Dabo veteres eoſque aureos.

Erud. Nolo committere, vt me iniquitatis accuſes. Spero te alio tempore gratum fore. Ego profecto lubentiſſime hominum commodis inſeruio. Quare, ne

longior

longior ſim, dicam Tibi quid velim. Tu, ſi decem exemplaria libri, cuius editionem paras, et Petri Baelii Lexicon (*) addas conſtitutae pecuniae, praefationem accipies. Me hercle! nunquam tam exiguam mercedem accepi. Verum miſeret me hominum, calamitate belli exhauſtorum. Quot non ſunt iuuenes egeni et inopes, quibus domicilium veſtem et victum praebeo! quot non alui, praeclare qui nunc de patria merentur! Nulla re magis delector, quam ſi inopiam bonorum virorum ſubleuare poſſum. At Illud tamen etiam atque etiam Te hortor et moneo, ne cuiquam rem enuncies. Valde enim, ſi rem cognouerint

K 2

(*) *Chreſt. Petron. Burmannian. p.* 131.

uerint plures, opes meae minuerentur. Probaturne Tibi conditio?

Bibl. Probatur. Verum quoniam te multum de acerbitate tua remiſiſſe intelligo, meque iam familiarius tecum loqui poſſe video, libere omnia exponam, quae mihi curae cordique ſint. Audiui ſaepenumero, nullos alios libros ad certum aliquod tempus nobis vtiliores eſſe, quam philoſophicos. Auctore quidem mortuo ſenſim paullatimque pretium eorum minuitur, ſed eodem viuo auidiſſime coemuntur. Poteriſne, quaeſo, aliquod ſyſtema Philoſophicum ſcribere?

Erud. Quid ego non poſſim? Vellem quidem alia res eſſet, de qua liber ſcribendus, ſed nihil volentibus arduum. Vtor

enim

enim ea arte, quam me nobilis Philoſophus olim docuit. Proponam mihi compendium Philoſophi cuiusdam, dudum mortui: tum primum numerum et feriem capitum mutabo: dein noua verba excogitabo: porro ex aliis compendiis contrarias opiniones deſcribam, ne cuiquam fraus innocua innoteſcat: tandem e quinque aliis in hunc transferam, quae deſint. Hoc modo breui tempore Syſtema Philoſophicum abſoluetur.

Bibl. Quali vero nomine haec tua Philoſophia appellabitur?

Erud. Eclecticam illam dicent homines. Nam e compluribus optima quaeque eli-

gam, nulliuſque me in verba iurare apparebit. Sed, ne mercedem negligamus –

Bibl. De ea iam videbimus. Putaſne illum librum multos emtores inuenturum eſſe? Equidem, quantum in me erit, hominum animos oculoſque variis artibus alliciam. E charta nitida lepidiſque imagiunculis de praeſtantia librorum iudicari non ignoro. In his igitur comparandis nullis ſumtibus parcam. Praefigam etiam effigiem tuam, illique verſus, in laudem tuam compoſitos, ſubiiciam.

Erud. Ego vero aliam viam inibo. Ipſe, alio nomine adſumto, aliquid ſcribam contra meum librum, et deinde acerbiſſimis ver-

verbis me defendam. Hoc non ſemel ſed ter et quater faciam. Porro meos familiares hortabor et orabo, vt cauſae meae patrocinium ſuſcipiant, neque in re magni momenti mihi deeſſe velint. Quid multa? Inuehentur illi in aduerſarium meum, et defenſionibus pro me editis facile efficient, vt omnes cupiditate ipſum librum legendi cauſamque cognoſcendi ardeant. Dubitaſne adhuc de praeſtantia mei ingenii? Nonne iam vides, quales concurſus ad tabernam tuam fiant?

Bibl. Gratulor mihi amicitiam tuam, nihilque magis opto et cupio, quam vt Tu mihi animum illum in me beneuolum conſerues.

Erud. Nihilne noui? bone vir. Quibusne libris bibliopolae maximum iam pretium ſtatuunt? Qui videntur illis optimi?

Bibl. Optimi ii ſemper nobis viſi ſunt, qui plurimos emtores inuenerint. Qui igitur plurimos emtores inueniant, quaeris?

Erud. Rem acu tetigiſti.

Bibl. Nos haec tempora *Seculum Verſionum* appellamus. E nullis libris tantum pecuniae, quantum e Gallorum et Anglorum verſionibus redit. Scito enim, non ſolum illos viros, qui elegantis doctrinae ſtudioſi dici haberique cupiant, ſed mu-

lieres

lieres quoque et virgines, quae ſuper plebem ſapiant, auidiſſime illas emere. E Gallicis nullus prope liber eſt, quem non in Theotiſcam linguam translatum habeamus. Vereor etiam, ne breui tempore nimia hominum ſedulitate eo res perducatur, vt neque Anglia nobis libros ſuppeditet. Vtinam Lapponenſes ſcriptores ingenioſi et acuti eſſent! Quam vellem eorum libros Germaniae donare. Faciam proxime periculum. Nam ſi modo homines verba *in Germanicam linguam translatus* in fronte libri conſpiciant, ocyus illum' emunt. Quid enim, nos miſeri bibliopolae, Gallia et Anglia exhauſta, agamus? qua via nobis victum et opes comparemus? quomodo vitam toleremus?

Erud. Nulloſne Graecos et Latinos auctores edis?

Bibl. Edere quidem illos cupio, ſed nullis aliis, quam Minellianis, Iunckerianisque, certe Theotiſcis notulis, illuſtratos. Horum enim editiones maxime fructuoſas eſſe noui. Attulit mihi nuper aliquis, qui ſe Criticum apellauit, Hecubam Euripidis, copioſo commentario explicatam. Verum nolui libri editionem in me recipere, quem in Germania profecto nemo emturus fuiſſet. Atque, vt quod res eſt dicam, auctores veteres nullos edere mecum conſtitui. Eſt enim periculoſae plenum opus aleae, atque vereor, ne breui tempore lectio eorum in Saxonia omnibus interdicatur.

Erud.

Erud. Vnde tu coniecturam facis? Vix equidem puto.

Bibl. Ah! Nonne audiuiſti, quid nuper in vrbe aliqua, non procul, Lipſia noſtra, acciderit? En! quam callide ſimulare res didiceris.

Erud. Per omnes ſapientis meae barbae pilos iuro: nihil audiui.

Bibl. Narrabo igitur. Accidit, vt iuuenis quidam ibi virginem vitiaret. Nihil noui. Homo fuit. Cum Senatus de re certior fieret, ſtatim ille: Nonne omnia haec ſcelera a peruerſa librorum lectione proueniunt? dudum eiuſmodi aliquid euen-

turum

turum fuiſſe arbitrati ſumus. Quis enim malus error Rectorem ſcholae noſtrae adduxit, vt Terentium ſuis alumnis exponeret? Illum peſſimum ſcriptorem et ſpurciſſimum omnium hominum. Tum alter alteri Senatori in aurem: quale animal Terentius? Eſtne poëta an hiſtoricus? Romanus an Gallicus? Equidem me ignorare fateor. Quid murmuratis? tandem Conſul. Terentius eſt poeta Romanus, atque Dacieriam aliquam, ni fallor in matrimonium duxit: certe hanc cum illo neſcio quid negotii habuiſſe audiui. Quid quaeris? Fit Senatuſconſultum, ne poſthac Rector, niſi munere ſuo remoueri cupiat, Terentium praelegat aut explicet. Quid putas?

Erud. Mira mihi videtur res. Verum dudum intellexi in plurimis vrbibus, Senatores magis quid ad cereuiſiam coquendam quam quid ad litteras tractandas pertineat, ſcire. Cur igitur illis ſcholarum gubernandarum cura permittitur? Nempe ideo, vt fortaſſe non vno, ſed compluribus defectibus Saxonia laboret.

Bibl. Non vacat diutius tecum confabulari. Eundum mihi hinc in forum.

Erud. Quidnam ibi ages?

Bibl. Hoc agam, vt iuuenem robuſtum inueniam, qui mihi operam ſuam in Anglorum carminibus vertendis et verſiculis aliquot facetis conſcribillandis locet. Nam quo robuſtius corpus, quo maiores digiti, eo acutius ingenium.

Erud. DI fortunent conſilium.

Bibl. Vale igitur, meumque negotium tibi commendatum habe.

Erud. Habebo, omniaque diligenter curabo. Vale. - Abiitne? - Curabo iam, furcifer, vt te tuae auaritiae poeniteat. Plagulas aliquot proxime accipies, ſed his impreſſis, ne ſyllabam quidem, niſi thaleros L. ſoluas. Deinde libri exemplaria, quae promiſiſti, illigata fortaſſe mittere cogitas. Ah! erras nebulo. Ligata tibi illa erunt opportanda (*) Sic enim inter nos conueniſſe iurabo. O boni bibliopolae! acuti vobis videmini, voſque facili negotio nobis imponere poſſe, gloriamini: omnes, quotquot eſtis, ſi mecum conferamini, ſtipites eſtis.

(*) *vid. libr. modo laud. p.* 130.

EPISTOLA (*)
EQVITIS PAGANI
AD
EQVITEM ITIDEM PAGANVM.

(*) Haec epiſtola minime a nobis efficta aut ad riſum captandum compoſita, ſed vere ab illo Equite ſcripta fuit. Nos vero illam e Theotiſco in Latinum ſermonem transtulimus. Alioquin multum venuſtatis periiſſet.

ALTE-BENE-NATE DOMINE,

MVLTVM AMATE DOMINE

FRATER,

Quando Vos Vos bene inuenitis, ſic eſt mihi carum. Ego me inuenio bene. Domine Frater, poteſtis cogitare, quomodo diabolus ſuum ludum habet? Magna mihi fatalitas pro breui obuiauit, quam mihi vero non valde ad animum traho: nempe meus Paſtor morexit, et locus nunc eſt

vacuus. Nunc autem Vos ſcitis, vt habeo ius Collaturae et ſum patronus templi. Sed quia mihi notum eſt, quod Vos habetis multam reconnoiſanciam, et ego non ſcio, quem ſumere debeo, ſic peto Vos, quod mihi vnum bonum ſubiectum recommendatis. Sed hoc debetis apud hoc obſeruare, Domine Frater, vt candidatus non habet mulierem, et poteſt bene bibere et ludere. Enim ille oportet nubere meam Camerae-puellam, quia eam non amplius volo habere, quia non magis pulchre videt. Sub hac conditione debet Paſtoratum accipere. Pro tali homine eſt

illa

illa longe bona ſatis: ille oportet cogitare, quam ſi viduam ſumeret. Futurum eſſet mihi etiam gratum, quando ille poſſet ludere l'Ombre, et aliquid ad ridere facere, quando ego hoſpites accipio, et nos bibimus ſanitates. Ille poteſt cum me edere, ſic ſaepe ille vult, et ille debet ex mea culina vnum leporem omnibus ſeptimanis accipere. Sed ille oportet etiam adſpicere, vt ruſtici nullam feram aut lignum furantur, et illud in ſuggeſtu proferre. Enim vetus paſtor, Deus habeat illum beatum! erat non ad meum guſtum. Ille habebat cor ſemel ad me dicere: Clementiſſime

Domine, non eſt rectum, vt vos quomodo vnus anſer in mundum intra viuitis. Vos ducitis vnam malam vitam, et habetis apud vos vnam maetreſſam, et ſinitis totum veſtrum intellectum in vitro vini. — Cogitate ſemel! Suo Collatori hoc ad dicere? Quando ille erat apud menſam apud me, et ego incipiebam ſacramentare, ſic ibat ille a menſa poſt domum. Vos volebatis illum ſemel verberare. ſcitis Vos adhuc? mea anima! hoc erat charmantum. Quando Vos vnum bonum Candidatum ſcitis, ſic mittite vos illum ad me, vt ille Probam faciat. Meos ruſticos debet diabolus

bolus portare, quando hi illum non volunt ſumere. Ego ſino illos omnes iacere in canisforamen. Hoc eſſet ſic bonum. Sed, quia ego meam puellam amitto, ſic volo habere vnam aliam, cum qua ego mihi tempus depello. Hoc volo ego ſic incipere. Quando Vos ſcitis vnum Aduocatum, qui habet vnam pulchram vxorillam, quae excitata eſt, et nulla pietiſta, et quae vitae genus intelligit, et eſt vna galanta ſoror, ſic ego volo illum facere ad meum Iudicii Adminiſtratorem. Sed ille oportet non in ruſticorum latere eſſe, ſed in meo, et ruſticos bene tondere. Ille

oportet etiam nullam jalouſiam habere, quando ego pulchre facio cum ſua foemina. Ille debet ſuam foeminam ſuper aliquot dies apud me ſolam ſinere. Vos eſtis, Domine Frater, nullus ſtultus: vos habetis etiam vnum talem. Facite mihi placitum, et quaerite mihi etiam vnum ex. Vos poteſtis credere, vt ego non irraeſonabilis ſum. Mitto Vobis etiam vnum venaticum canem, aut ventiludum, quia Vos eſtis magnus amator de ſimilibus. Ille poteſt, apud meam animam! celeriter currere, et ſcit lepores recte capere. Ille eſt vnus bonus canis, et fuit

cum

cum me in Campagna vnum menſem, diſ-
rumpat me tonitru! Vos ſcitis bene, nos
eramus inter vnam compagniam, et ſi ad-
marchabat hoſtis, nos faciebamus nos ex
puluere, et cum erat praelium apud Keſ-
ſeldorffum, ego repebam in vnum forna-
cem; ſed Vos feciſtis Vobis vnum vulnus
in manum cum panis - cultro, ſic nos ve-
niebamus cum ſana cute ex lite. Hoc in-
ter nos dictum, Domine Frater. Sed, vt
non loquamur vnum in ſecundnm, ſic vo-
lo ego petitum meum optime Vobis recom-
mendatum habere. Venite ſemel ad me
ad vnam tibiam boni tabaci epiſtolaris,

et vitrum boni terreſtris vini. Hoc mihi debet recte carum eſſe. Ego permaneo tempore vitae

Domine Frater,

Veſter
fidelis amicus et vicinus
Carolus Wilhelmus Sigismundus Adolphus,
liber dominus de Nullo-ingenio, vocatus Stultus.

EPI-

EPISTOLA ICTI.

Multum dilecte amice et valde aeſtimate Patrone. Quia nos a ſcholae et Vniuerſitatis annis ſemper boni amici fuimus, non volo dubitare, vt vos in petito meo mihi ad voluntatem futuri ſitis. Ego poſſum vos confirmare, vt ego vobis ſum cordialiter bonus, et paratus vobis ad ſeruire, in quo tantum vultis. Ego habeo ad vos vnum petitum, quod mihi valde ad cor iacet, et apud Vos Veſtro auxilio vtor. Enim quia cerno, quod vna foemina vna formoſa res eſt, volo ego vnam foeminam ſumere. Ego ſum Iuris Vtriuſque Doctor, Notarius publicus et Aduocatus immatriculatus, et habeo, Deo ſit laus! bonam praxim,

praxim Vos certe non credidiſſetis, me tam magnum animal futurum eſſe. Sed incepi res meas admodum prudenter. Enim cum examinari debebam, iui ad Examinatores, et petii eos ad coenam. Preſſi etiam, quod ſit inter nos dictum, vni omni tres Ducatos in manum. Tunc in examine Doctores me quaerebant quidem multa grauia, ſed ego nihil reſpondebam, et illi reſpondebant ſtatim ipſi. Tunc dicebant; ſe habere ſpem de me, et me debere Doctor fieri. Et accipiebam cenſuram, *omnino dignus.* Sed ego mihi ſinebam ſcribere vnam diſputationem ab vno certo paupere ſtudioſo, et iui ad Opponentes meos et dixi ad eos: Eſtote tam boni, et date mihi oppoſitiones veſtras, et facite mihi nul-

lum

lum ſpectaculum. Ego vobis rurſus ſeruiam, et volo mittere vobis aliquid in culinam. Tunc mihi ſinebam facere reſponſiones, et eas in cathedra cum bona voce legebam. Et homines dicebant mihi in aurem: vos eſtis vnus totus eruditus. Tunc ego fiebam Doctor, et nunc multos duco proceſſus. Cum doctorizabar, dabam ego nouam pecuniam, et Examinatores dicebant; Sumite veſtram pecuniam. Vos non poteſtis doctor fieri. Enim nos faciamus non doctores pro noua pecunia, ſed pro vetere pecunia. Tunc ego reſpondebam ſic: Illuſtres et Magnifici Domini, habete patientiam: diabolici Iudaei omnem pecuniam veterem ex regno portant, et inducunt Baerenburgos. Ego vobis ſtabo ſemper

per ad ſeruitium et dabo L'agio. Tunc erant omnia bona. Et in die doctorizationis dabam ego conuiuium doctorale. Mei Examinatores et Opponentes erant ibi, et bibebant magiſtraliter. Sed Examinatores dicebant ad me: Vos eſtis vnus raeſonabilis vir: nos volumus puros tales habere; manete noſter Fautor et Patronus. Ergo ego factus ſum vnus magnus vir, et habeo clientes multos. Ego nullum proceſſum accipio, ſi non pecunia praenumeratur, et ſcio ruſticos valde bene tondere. Si aliquis peccauit, dico ego: mittite aliquid in culinam, ego faciam clementer cum vobis. Tunc ego accipio ſues, anſeres et butyrum. Et ego teneo non cum ruſticis ſed cum nobilibus. Ego etiam non ſum indo-

ctus.

ctus. Ego habeo bonam Bibliothecam, in qua ſunt etiam Latini libri, ego puto Kirſchii Cornu, et Magiſtri Ciceronis officia. Ego collegi etiam aliquam pecuniam, et nunc volo habere vnam vxorem. Debent vero eſſe in veſtra vrbe virgines diuites, et vnam talem ego volo habere ad vxorem. An virtuoſa, vetus et formoſa ſit, non debetis vos inquirere. Vnicum requiſitum eſt, vt habeat tres mille thaleros. Tunc poteſt ad me venire, et pecuniam cum ſe ferre; nos in momento faciemus nuptias. Sed illa debet bene loqui poſſe cum hominibus. Enim mea foemina oportet dicere clientibus, quod ego non volo dicere, quia alias mihi praxis ponitur. Quando illa poteſt ſcribere, tunc eſt mihi carum. Dabo

illi

illi Acta deſcribere, et illa mihi debet iuuare in proceſſibus. Ego vobis ſuperſino totam rem, et vos poteſtis vos deſinere ſuper bonam mercedem. Ipſe non volo mea verba adferre: enim timeo, vt corbim accipiam. Vos pardonnabitis meam licentiam. Viuite bene!

V A R I A.

Quemadmodum in Romana republica tabulae expenſorum et acceptorum publica auctoritate conſtitutae erant, ſic vellem eadem lex in republica erudita promulgaretur. At, bone Deus! quantae tum turbae orirentur! Vae vobis, lepidi ludimagiſtri! Quid enim, vbi aliquid ſcribitis, aliud facitis, quam vt Pitiſcum compiletis! Iam illum audiui ex lege Calpurnia aut Hoſtilia acturum eſſe. Quid vobis, o miſeri! fiet? Quanto ſapientiores illi veſtrum, qui catalogos ſuorum diſcipulorum, quotieſcunque aliquid ſcribendum, euulgant! Totum enim Pitiſci fontem, quo ſuos hortulos irrigarunt, iam exhauſtum eſſe vi-

 dent.

dent. Equidem ingenue vobiscum agam, et proponam vobis aliqua in Programmatibus veſtris vberius explicanda. Elegantiſſime hercle! diſputare poteritis de virga Orbilii; cornea illa fuerit an ex ſalicibus contexta? Tergone pueri veterum an natibus poenas dederint? Quot plagas acceperit, qui DOCEBO VOBIS dixerit? Quota diei hora clamare inceperint in auditoriis ludimagiſtri? Quae fuerit Terſitis mater? nigro an rufo equo Priamus in Graecorum caſtra vectus fuerit? Quo colore pictae fuerint arundines, in quibus pueri equitauerint? Cuius coloris barba Homeri fuerit? En vobis amplum et pulcherrimum campum! Quantopere in eo excurrere, quot veterum locis veſtras chartas diſtinguere

poteri-

poteritis! - Nolite, poetae, ridere. Noſtin' o audacula cohors: QVI PECV ENDO ALIENO IMPESCIT. At quoties vos veſtrum pecus, Pegaſum dico, illud toties a vobis cantatum animal, veſtras delicias, in alienam ſegetes immititis. Verum, ſi qui alii, vos certe omnium legum et iuris imperitiſſimi eſtis. PATER INSIGNEM AD DEFORMITATEM PVERVM CITO NECATO. Cur igitur veſtros foetus non viuere tantum ſinitis, ſed et in oculos conſpectumque hominum producitis? Cur, ſimiarum more, quo deformiores illi ſunt, eo ardentius illos amatis? eo maiori iracundia incendimini, ſi quis eos pro formoſis habere nolit? SI LVCI FVRTVM FAXIT SIM ALIQVIS ENDO IPSO CAPSIT, VERBERATOR.

RATOR. Timeo, ne omnibus virgultis terra nudetur, ſi vos furti poenas dare oporteat? At furtum imitationem vocatis. Non interdiu ſolum, ſed nocte quoque, quodcunque vobis arrideat, rapitis. SI FALSVM TESTIMONIVM DICASIT, SAXO DEICITOR. Voſne vera dicitis? Crederem, niſi vos, queſtus cauſſa, vel ſtipites et truncos Appollini et Mercurio comparare ſcirem. Quo ditiores et ſtupidiores homines, eo maius eorum in veſtris verſiculis ingenium et doctrina. SI QVI HOMINEM LIBERVM DOLO SCIENS MORTI DVIT. Quot vos non liberos homines verſibus veſtris enecatis? Viuerent fortaſſe et vigerent multi, reipublicae vtiliſſimi ciues, niſi veſtra carmina illis tuſſim et grauedinem attu-

attuliſſent. Nulla febris tot homines vno anno, quot vos vno die, extinguitis.

Quid non faciunt Critici, vt famam ingenioli aucupentur? Mauult Politianus Paſſerem Catulli, quam caſtitatem animi tueri, et grauitatem dignam viro docto. Quam elegantes ineptiunt, qui oſcula Horatii, quae QVINTA PARTE SVI NECTARIS IMBVIT VENVS, explicant? Equidem lubentius indoctus videri cupio, quam eruditas nequitias cum Burmanno ad Petronium coaceruare. Quid mirum, ſi vir doctus, in hiſce occupatus, aliquid humani paſſus eſt. Neque enim praecordia ex ferro finxit natura Criticis.

Fuit adhuc regum et principum ille mos, vt ſe cognomine Secundi, Tertii, Quarti, ab aliis, eodem nomine inſignitis, diſtinguerent. Nunc laudabiſi conſilio illum morem Critici imitantur. Iure in frontibus librorum legimus B. -- SECVNDVS. Quid recte factum eſſe neget? Fortaſſe nullus rex toties gladium, quoties illi calamum acuunt, tot vrbes expilauit, quot illi commentarios, tot tela iecit, quot illi conuicia, toties in aliorum regna impetum fecit, quoties iidem. Fortaſſe etiam nullus tam ſuperbus, tam regnandi cupidus fuit, tam pro imperio dixit.

Multum ſordida ruſticitas ab ingenua libertate differt. Quoties doctorem ſpur-

cis ſermonibus et turpibus iocis riſus captare video, mecum ſic cogito: Hem! nonne quod circumforare medicaſtri hiſtrione, illud hic impudico ore efficere conatur?

Quod meis oculis vidi, narrabo. Legi nuper in libello quodam viri, cuius famae ſi ſimilem eruditionis famam haberem beatus eſſem: *Euſtathius Arabs.* Perculerunt haec verba animum. Vix oculis fidem habui. At eadem verba in prima et altera libelli editione erant. Quid igitur? inuenerat lepidum caput in libro, ex quo haec ſuo more exſcripſit: *Euſtathius A. raps.* Quid tum? Neque quis Euſtathius, neque quid Rapſodia eſſet, meus ſtupor nouit.

uit. Bona igitur ſide Theſſalonicenſem Epiſcopum in Arabiam tranſtulit. Eundem tamen Nou. Teſt. ſtylum et purum et graecum eſſe contendere? Tam turpiter vos datis, o ignauum pecus! ridiculi compilatores!

Sed opportune compilatorum mentio incidit. Neque enim praetereundum eſt nobiliſſimum factum *Naeuii*, quem nuper ſapientiſſimo conſilio mortuum eſſe audio: nullum certe pulchrius cepit, quoad vixit, conſilium. Hic igitur beato Chriſtio operam dedit, eumque antiquitates Romanas explicantem audiuit; totum vero ſermonem viri docti calamo excepit. Paucorum annorum ſpatio interiecto ſuo nomine

omnes

omnes Chriſtii animaduerſiones edit, neque vnum de Chriſtio verbum addit. Sed paullo accuratius hominem conſideremus. Sic ingenium eius meretur. Homo erat ingenii admodum mediocris, lectionis multae, eruditionis, non exiguae quidem, ſed neque magnae neque ordinatae; eo maior in eo ſuperbia et faſtus. Deum credebat, ſed non credere cupiebat videri; conſuetudinem hominum vitabat, atque in tenebris iis libris impalleſcebat, quos nemo ſapiens legiſſet; varius erat in omni genere vitae: modo Philoſophi gloriam aucupabatur, omneſque, in quibus de Deo et religione male auctores ſentiebant, libros coemebat; modo Criticum agere volebat, et ſplendidiſſimas Latinorum aucto-

rum editiones ſibi magno ſtudio comparabat; modo ſummorum artificum picturas vndique corradebat: mox harum deliciarum eum cepit taedium. Non ſemel eum viderunt in terra conſidentem magnam vim elegantiſſimarum picturarum in ignem conicere atque eodem modo ſplendidas editiones delere. Hiſtorici famam deperibat; ſe hiſtoriam vniuerſalem ex propria meditatione, ſic enim dicebat, eſſe ſcripturam gloriabatur. In ſe nulla, in aliis omnibus multa vitia deprehendebat, eaque palam in famoſis libellis recenſebat; quantum corporis forma, qua nullus vnquam Aeſopo aut Socrati ſimilior fuit, tantum toto genere vitae ab aliis abhorrebat; neque cibum neque ſomnum, quemadmodum alii, capiebat,

capiebat, ſed ſibi in omni vita ſe ipſum imitandum propoſuiſſe videbatur.

Verum, longior eſt de plagiariis diſputatio, neque huius loci et temporis. Alias eos commemoraremus, qui Berglerum ea de cauſſa aluerunt, vt ipſorum nomine libros ederet.

Qui libris aliorum, repetita a ſe editione vulgatis, ſua nomina praefigunt, ſimiles videntur opifici, qui, quoniam dealbauerit parietes, aedificio ab alio exſtructo ſuum nomen inſcribere vellet.

Pauci emunt libros, vt eos legant, plerique, vt indicem et praefationem inſpiciant,

ciant, plurimi, vt parietes illis ornent. Accepi a certis hominibus, cepiſſe Principem - quem? quo tempore? Quaſi hoc dicere opus ſit - conſilium bibliothecae adornandae, atque ſingulis nundinis ad filum lineum in officina libraria numerum voluminum exegiſſe, nulla alias librorum habita ratione.

INDEX.

I. Ad lectorem. pag. 3

II. Peregrinatio. 9

III. Dialogus Patris et Filii ICtorum. 25

IV. Epiſtola de cauſſis aliquot imminentis barbariei. 43

V. Aſtrologia. 69

VI. Agricolae Bonfidii Commentarii de rebus ad ſe ipſum pertinentibus. 83

VII. Epiſt. de Ciceronianis. 103

VIII. Genealogia Criticorum. 113

IX. Ad defenſores puritatis Graeci ſermonis in N. T. 123

X. Dialogus, Bibliopola et Eruditus. 139

XI.

XI. Epiſtola Equitis pagani ad Equitem itidem paganum. 159

XII. Epiſtola ICti. 169

XIII. Varia. 177

Non luſiſſe pudet, ſed non incidere ludum.

21-20